

124. 918. Box 2

~~177~~

Sup 1890
Sup

REG. GYMNASIUM CATH. HEILIGENSTADIANUM.

1006

~~12385~~
~~Box 1590~~

Box 17

STUDIA SOPHOCLEA.

COMMENTATIONES CRITICAE

DE

OEDIPI COLONEI LOCIS LXII.

SCRIPSIT

L. PETERS.



GOTTINGAE MDCCCLXIX.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GULL. FR. KAESTNER.

Printed in Germany

REG. GEN. 1818. N. 1. CAT. HEILIGENSTADT. 1818.

STUDIA SOPHOCLEA.

COMMENTATIONES CRITICAE

DE

OEDEI COLONNI LOCIS LXII.

Si quid novisti rectius istis, candidus imperti.

AVRISTO

L. PETERS

GOTTINGEN MDCCCXIV

Printed by G. Neumann, Neudamm, near Berlin.

Price 1 Rthlr.

Prolegomena

Quamvis multi loci quum ceterarum Sophoclis fabularum tum Oedipi Colonei acumine ac sollertia criticorum, qui vel accurate et copiose vel carptim de illis operibus disputaverunt, et superiore tempore et nostra memoria vel illustrati vel emendati atque expoliti sint: tamen tantum abest, ut tragoediae illae ad pristinum splendorem atque integritatem revocatae sint, ut permultae corruptulae, in quibus corrigendis quum codicum et scholiorum veterum auxilium parum suppetat, ad ingenium ac conjecturam confugiendum sit, nondum ita sublatae sint, ut dissentire non possimus. Quamquam haud pauci inveniuntur loci, in quibus emendandis, quum verba intercidisse appareat, vereor ne critici ingenii acumine nequidquam abutantur, aut qui certa quidem ratione corrigi non possint. Sed quidam interpretes hujus aetatis haud paucos locos vel quum rationum vis et argumentandi veritas codicum fidem non superaret, temere tentaverunt, vel quum eos emendari posse praepropere desperarent, subditicios aut interpolatos inconsultius judicaverunt, vel obliiti librariorum errores corrigendos esse, non verba poetae codicum auctoritate neglecta et spretis verae scripturae indiciis audacius ac licentius permutaverunt. Quod quum de Oedipo Coloneo, quippe qua fabula, quod ego sentiam, nulla ex Sophocleis mendosior sit, disserere et de iis locis disserere mihi proposuerim, quos vel aliter atque a criticis factum est, tendandos vel temere a criticis tentatos vel quibus justae interpretationis lumen nondum adhibitum esse persuasum habeam, quia labor quum comprobandi quae recta tum redarguendi quae prava videantur non est fugiendus, fieri non poterit, quin virorum doctissimorum eorundemque de tragoediis Sophocleis optime meritum opiniones reprehendam. Sed ne, quum aliorum opiniones vituperem, meas vitiis judicare videar vacuas, me haud ignorare fateor, quantopere illud 'decipimur recti specie' in omnes cadat, neque quidquam mihi optatius futurum quam, si peccaverim, errores meos redargui ac convinci. Quodsi mihi non contingat, ut unam aut alteram difficultatem expediam, me hujus operae non poenitebit, si critici refutandis conjecturis meis simul ad unum omnium praestantissimum tragicarum poesis opus emendandum ac perpoliendum aliquid contulerint.

V. 28: ἀλλ' ἔσσι μὴν οἰκητός· οἶομαι δὲ δεῖν
οὐδέν· πέλας γὰρ ἄνδρα τόνδε νῆν ὄρω.

Hos versus, quorum scripturam codices non variant, nisi quod in nonnullis et iis quidem deterioribus libris μὴν corruptum est, Nauckius ut interpolatos atque in unum cogendos esse demonstrat, viris equisque ut ajunt oppugnat. Sed quas doctissimus ille literarum graecarum existimator affert rationes haud scio an maximam partem parum idoneae sint. Nam verba οἶομαι δὲ δεῖν οὐδέν neque ambigua obscuraque sunt, quum nihil obstet, quominus ad proxima illa referantur quae Antigone v. 36

interrogat: ἢ μάθω μολοῦσά ποι; et suppleatur: ἐμὲ μολοῦσάν ποι μαθεῖν, et ita non incidunt sermonis perpetuitatem, ut illa si tollere velis, requirantur. Nam Antigone v. 36 ut planius de regione illa quam attigerint cognoscat, se discessuram esse pollicetur; tum pater consentit, si quidem in regione illa homines habitent. Quod ubi illa affirmavit, videt viatorem quendam prope se euntem, a quo quum speret patrem de regione illa posse edoceri, *necesse est eam dicere jam nihil esse opus se ad regionem exquirendam discedere.* Neque illa verborum structura ulla ratione impeditior est atque obscurior quam quae est in v. 407: ἀλλ' οὐκ ἐγὼ κτέ., vel in Ant. v. 538, ubi e versibus proximis infinitivi supplendi sunt, vel in Oed. Col. v. 1729, ubi ad μῶν οὐχ ὄρας intelligendum μὴ εἶναι θέμις. Quod autem Nauckio οἶομαι mirum videtur, quippe quod animi sit incerti, quum Antigone regionem incoli firmissime asserebat: virgo opinor animo praecipere non potest, num viator regionum illarum peritus sit; alioquin videlicet ipsi ut de illis planius cognoscat discedendum est. Ac ne stichomythiae quidem legem illo loco neglectam esse A. Meinekius p. 136 ostendit. Recte autem pronomen τόνδε Nauckii in offensionem cecidisse videtur; quum enim nomine ἀνῆρ non certa persona hoc loco significetur, pronomen illud utique alienum est. Antigone sane nihil potest nisi hoc dicere: *virum quendam video, non: illum virum video.* Quare poetam conjicio scripsisse πέλας γὰρ ἀνδρ' ἰόντα νῶν ὄρω i. e. virum enim video prope nos euntem. Sic recte consequitur quod Oedipus interrogat, num ad ipsos viator iter convertat.

V. 44: ἀλλ' ἔλεως μὲν τόνδ' ἰκέτην δεξάσαιτο.
ὥστ' οὐκ ἔδρας γῆς τῆσδ' ἂν ἐξέλθοιμι εἴ.

Quum ἔλεως μὲν, quae est codicum scriptura, et a sententia et a ratione metrica abhorreat, plerique interpretes ἔλεω μὲν scripserunt. Est istuc quidem aliquid; sed ipsum μὲν ab hoc loco alienum esse apparet, id quod Elmsleio aliisque criticis est visum. Quare Nauckius vestigia scripturae Laurentinae sibi visus sequi conjecit scribendum ἔλεω ἐμέ, quod quidem nescio an non possit probari, quum rationi metricae non conveniat. Ego quidem superiore tempore Oedipum oraculi sibi dati eventum exspectantem, quominus παῦλαν a deo propositam assequatur, Furias prohibitas non esse confidere ratus quum μὲν in μὲν mutandum, deinde τὸν ἰκέτην, quod Brunckius conjecit, probandum, tum ὥστ', quod codices praebent, tuendum censerem, locum ita sum interpretatus: *At propitiae me supplicem excipient, ut nunquam ex hoc loco excessurus sim.* Nam Oedipus et oraculo et Furiarum gratia confisus mihi videbatur negare se illa regione discessurum. Nunc autem rectius mihi videor lectionem vulgatam τόνδ' Elmsleianumque illud ὥς amplecti atque locum sic emendare: ἀλλ' ἔλεω τόνδ' ἰκέτην δεξάσαιτο ὥς κτέ. Nam vulgatum illud μὲν videtur profectum esse ex ἐμέ vel με, quod τόνδ' explicandi causa superscriptum versui insertum esse verisimile est. Atque apud tragicos et ὅδε cum ἀνῆρ ita conjunctum, ut articulus aut addatur aut omittatur, et pronomen illud solum saepe a dicentibus, ut se ipsos denotent, usurpari constat. (cf. Kr. Gr. II. §. 50. 11). Sed videndum est, ne pronomini illi aliis substantivis quae in dicentem cadant adjuncto notio illa subjecta sit. Mihi quidem in v. 1356: τὸν αὐτὸς αὐτοῦ πατέρα τόνδε.. pronominis illius eadem ratio esse videtur, quam illo de quo quaeritur loco ejus esse statui. Restat ut Nauckium de incorrupta verborum ἔδρας γῆς τῆσδ' integritate minus recte dubitare doceam. Nam quod dicit incertum esse, utrum Oedipus ex sede an ex terra se cessurum neget, probari non potest; nam si γῆς τῆσδ' pendere ex ἐξέλθοιμι velis statuere, ἔδρας a sententia alienum sit. Quare unus est idemque certissimus verborum ordo. Ac genitivus γῆς ex ἔδρας pendens quum accuratius ἔδραν ita definiat, ut unius rei notio effi-

ciatur, impedit, ne illa vox intelligatur *ἄξειστον πέτρον* (v. 19), in quo Oedipus subsedit. Quid? nonne similiter atque in v. 45 genitivus *γῆς* in v. 85 et 669 usurpatum est? Atque apud ceteros tragicos *γῆς πέδον* legitur. Transferendum autem esse *ἔδρας γῆς ἡῆσ'* ad regionem illam Eumenidibus consecratam luculentissime comprobatur v. 84 sq.: *ὦ πότνια δεινώπεις, εὔτε νῦν ἔδρας πρώτων ἐφ' ὑμῶν ἡῆσδε γῆς ἔκαμψ' ἐγώ* i. e. *πρώτης ἐφ' ὑμετέρας ἔδρας*, et v. 90: *θεῶν σεμνῶν ἔδραν*, et v. 176: *ἐκ τῶνδ' ἔδρανων*. Illa quidem regione Oedipus non decedit.

V. 47: *ἀλλ' οὐδ' ἐμόν τοι τοῦξανιστάναι πόλεως* *δίχ' ἔσσι θάρσος, πρίν γ' ἂν ἐνδείξω, τί δρῶ.*
 Quin Seidlerus lectionem vulgarem *οὐδ' ἐμόν τοι* recte in *οὐδ' ἐμοί τοι* mutaverit, haud scio an nemo dubitet; sed gravius mendum in extremo versu 48. latere videtur. Qui vulgatam illam scripturam amplectuntur post *ἐνδείξω* suppleri volunt *ἀκουσόμενος* vel *μαθησόμενος* vel *ἐρωτήσων*. At quis credat ista verba potuisse omitti? Ista brevitatis neque Sophocleo aut ullius scriptoris sermonis genere commendatur, et ista explicatio tautologiae quam vocant suffragatur. Nam *πόλεως δίχα* nihil hoc loco significare apparet nisi *civium voluntate non explorata*, quod idem isti volunt valere verba *πρίν γ' ἂν ἐνδείξω, τί δρῶ*, quum interpretentur: priusquam rem (ad cives) detulero, ut cognoscam, quid mihi faciendum sit. Ac ne ratio quidem grammatica isti interpretationi favet; nam istud ut oratione exprimeretur, si quid sentio, non conjunctivus usurpari, sed dici debebat: *τί με δεῖ δρᾶν*. Quas ob causas dubitari non potest, quin emendatione opus sit. Sed quas cognovi conjecturas, mihi improbantur. Ac Schneidewini quidem emendandi ratio: *πρίν γ' ἂν ἐνδείξῃ (ἢ πόλις), τί δρῶ* et a Nauckio refutata est et iisdem illis quas exposui rationibus redarguitur. Item Martinus quum scriptum fuisse censeat: *πρίν γ' ἂν ἐξειδῶ, τί δρῶ*, quam quidem conjecturam Meinekius unam omnium commemoratu dignam judicat, et conjunctivum *δρῶ* male interpretatus est nec animadvertisse videtur istam sententiam in ipsis quoque verbis *πόλεως δίχα* inesse. Nauckius autem in illo codice unde ceteri manaverint extrema illorum versuum verba deleta fuisse opinans audacius quam feliciter conjicit scribendum: *ἀλλ' οὐδ' ἐμόν τοι τοῦξανιστάναι (σ' ἔδρας) | πόλεως δίχ' ἔσσι, πρίν γ' ἂν ἐνδείξω π(ν)*. Neque enim in vulgari scriptura articulus infinitivo additus magis displicet quam in v. 442: *τὸ δρᾶν οὐκ ἠθέλησαν*, in Aj. v. 114: *τέρως ἦδ' εἰ σοὶ τὸ δρᾶν*, aliis ejus generis locis. Quamquam nihil necesse est exemplis hoc demonstrare, cum verbis et vocibus in quibus notio verbi insit, quae fere cum infinitivo jungantur, quo major sit vis verbi, haud raro infinitivum articulo adjecto conjungi. Accedit, quod repetitum *ἔδρας* languet, quum praesertim pronomen demonstrativum addi necesse sit. Atque jure mihi videor quaerere, quis tandem iste *τίς* intelligendus sit. Ego quidem utique illud requiri opinor, quod viator se indicaturum esse dicat, praesertim quum proximi versus nihil habeant, unde illud intelligi possit. Quare conjicio aut ad similitudinem versus 79: *δημοταῖς λέξω τὰ δ' ἐλθῶν* scribendum *τὰ δε*, ex quo pronomine glossemata *τί δρῶ* vel *τί δρᾶν* orta probabile est, aut *τί δρᾶς* ponendum, ut sententia haec sit: *At ne ego quidem civitate non consulta te abigere audeo, priusquam (ad cives) detulero, quid perpetres* i. e. te loco Eumenidibus consecrato consedissee eoque cedere constanter recusare. Hanc sententiam in verbis *τί δρᾶς* inesse posse certum est; nam viator v. 35 sq. Oedipum admonuit, ut ex illo loco cederet, quum adderet pedibus illum attingi nefas esse.

V. 54: *χαῖρος μὲν ἱερὸς πᾶς ὁδ' ἔστ'· ἔχει δέ νιν σεμνὸς Ποσειδῶν· ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς Τυτῶν Προμηθεύς*
Ἐν δ', quod libri exhibent, nullo modo probari potest; neque enim solum *δέ*

particula adversativa, sed etiam *ἐν* a sententia abhorret. Nam quod interpretatur Hesychius, *ἐν δὲ* esse *πρὸς τοῦτοις δέ, ἐν αὐτοῖς*, in hunc locum non potest transferri, quum viator unius Neptuni illius regionis praesidis mentionem fecerit. Atque in Oed. tyr. v. 27, Ant. v. 420, El. v. 713 eam esse illius praepositionis rationem, quae ab hoc loco prorsus sit aliena, nemo non videt. Nec vero praepositio illa adverbii loco posita significare potest *in hac regione sacra*. Neque assentior Nauckio, qui *ἐν δ'* in *ἧ δ'* mutavit; neque enim Prometheum a poeta pari loco atque Neptunum habitum et regionem dictam esse ab illo teneri probabile est, nec particula epica *ἧ δέ*, quae quidem apud Aeschylum haud raro legitur, apud Sophoclem, quod ego sciam, nisi duobus locis invenitur. Ego quidem malim scribi *ἐν θ'* atque suppleri *ἐστὶ*, quod quum dei signum indicari sit cogitandum, nescio an aptissimum sit. Pausanias quidem Prometheo in Academia, quae in Ceramico sita quatuor stadia ab Colono distabat, aram collocatam fuisse memoriae prodit (Att. I, 30); sed poetam hac fabula illud agere constat, ut non solum deos Coloneos sed etiam illos, quibus in Academia sacraria et signa posita erant, ceteros deos, quos Athenienses eximia religione venerabantur, summis laudibus efferat. Atque pronomine *πᾶς* in v. 54: *χωρὸς μὲν ἱερός πᾶς ὅδ' ἔστ'* videtur indicari *χωρὸν* etiam regionem illam Colono propinquam intelligendam esse. Quod etsi in versibus 42, 638, 798 aliis *ἐνθάδε* ad Coloneam regionem indicandam usurpatur, tamen *ἐνθα* huic loco accommodatum videtur. E diis autem illis qui in Academia colebantur hoc loco Prometheus solus ideo videtur commemorari, quod laus Jovis, ceterorum deorum quos Athenienses summa caerimonia venerabantur, postea carminibus celebratur.

V. 70: *Οἶδ.*: ἄρ' ἂν τις αὐτῷ πομπὸς εἴξῃ ὑμῶν μόλοι;

Ξέν.: ὡς πρὸς τί λέξων ἢ καταρτίσων μολεῖν;

Οἶδ.: ὡς ἂν προσαρκῶν μικρά, κερδάνη μέγα.

Interpretatio versus 71 posita est in illa explicatione, utrum post *τί* interrogationis signo distinguendum sit nec ne. Nam scripturam plurimorum codicum *μόλοι*, quam a librario e fine proximi versus repetitam esse patet, recte a Brunckio rejectam esse nemo non videt. Itemque et Elmslei emendationem: *ὡς πρὸς τί, λέξων ἢ καταρτίσων μολεῖν*; quia illi quod Oedipus versu respondet insequente repugnat, improbandam et a Dindorfio *μόλοι* praeter necessitatem in *παρῆ* mutatum esse apparet. Sed ut ad propositum redeat oratio, Nauckius Halmium secutus post *τί* interrogationis signum ponendum et id, ad quod *πρὸς τί* spectet, participiis accuratius ita arbitratur definiri, ut *λέξων* significet: *nuntiaturusne aliquid*, *καταρτίσων*: *an effecturus ut huc veniat*. At enim vero interpretatio versus 71. a versu et proximo et sequente non proficisci non potest. Namque viator ex iis quae Oedipus dixit concludere potest velle illum, Theseus arcessatur, quum praesertim *πομπὸς* significet ductorem sive comitem, et significet hoc loco eum, qui regi ignoranti ubi Oedipus versetur vel comitatu vel indicio viam monstret. Quare viator, quum ipsi *πομποῦ* partes suscipere in animo sit, ut habeat quo regem moveat, accuratius exquirendum arbitratur, quo tandem nomine Oedipus regem velit arcessi. Age vero consideremus, quae sequuntur. Quum Oedipus viatori hoc respondeat: ut Theseus, ubi exiguam operam ipsi navaverit, magno commodo afficiatur, viator non potest hoc interrogare: Quanam de causa (jubes nuntium ad Theseum proficisci)? Visne eum aliquid nuntiare an efficere ut (rex) veniat? sed nihil potest nisi hoc sciscitari: *Quam ad rem vis nuntium dicere vel efficere, ut (rex) veniat?* Quare post *τί* non censeo nota distinguendum. Seidlerus quidem, qui eandem distinguendi rationem sequitur, quum e proximo versu nondum appareat, utrum Oedipus ad aliquid Theseo nuntiandum ire aliquem velit

an ad eum arcessendum, artificio quodam illud explicat: 'Quanam de causa (venisse se) dicturus vel (si quidem vis, ut eum arcessat) quanam de causa ut veniat hortaturus?' Neque enim ista quae vult cogitatione suppleri omitti possunt, nec quod Oedipus respondet isti interpretationi plane congruit. Brunckium autem, quum verterit, 'nuntiaturusne aliquid an effecturus ut huc se conferat' λέξων male interpretatum esse apparet. Namque hoc statuo, infinitivum *μολεῖν* ex utroque participio pendere, ut λέξων non significet: nuntiaturus Theseo aliquid, sed *dicturus (ut) veniat*. Huic explicationi grammaticam rationem non adversari non est, quod pluribus exponam. Atque participia illa notione ita differre videntur, ut λέγειν indicet: Theseo praesenti dicere vel persuadere, ut ne iter recuset, *καταρτίειν*: copia mandatum coram praeficiendi non data per aliquem e comitibus vel propinquis vel familiaribus regem ut veniat adducere.

V. 75: οἶσθ', ὡς ξέν', ὡς νῦν μὴ σφαλῆς; ἐπέπερ εἶ
γενναῖος, ὡς ἰδόντι, πλὴν τοῦ δαίμονος·
αὐτοῦ μὲν οὔπερ κάρανης, . . .

Haec est vulgaris loci scriptura atque distinguendi ratio. Fuerunt qui, quum ad similitudinem locutionis antiquo usu pervagatae οἶσθ' ὡς ποιήσον conjunctivum μὴ σφαλῆς imperativi locum obtinere parum intelligerent, vel aliter distinguendum vel singula verba emendanda censerent; quos quidem operae mihi non est refellere. Nauckius autem, quod non appareat, qua ratione *γενναῖότης* Oedipi specie indicetur, et quod πλὴν a sententia alienum sit, quum neque δαίμων ad hominem pertineat nec calamitas *γενναῖότητι* officiat, denique quod verba ἐπέπερ εἶ . . . δαίμονος obstant, quominus oratio apte procedat, versum 76. ab interpolatore censet esse interpositum. Sed sententiarum ordinem ac rationem si spectaveris, versus illos non modo nihil vituperandos esse, sed artem poetae atque ingenium ex iis elucere intelliges. Namque viatoris animus, quod Oedipus versu 46. in fatiis esse tecte significavit, ut ne regione illa sacra cederet, mitigatus, postquam ille versu 72. regi commodum se allaturum esse indicavit, prorsus flectitur atque convertitur. Quare studet cavere, ne peregrinus longius in illa regione progrediatur atque majorem contrahat culpam. Sed in orationem inceptam addit causam, qua motus peregrino illud suasurus sit. Nimirum viator potest dubitare, an non temere Oedipus illa commoda proposuerit, quam quidem dubitationem versu 73. significavit. At ipsa peregrini generositas, quam quidem senis vultu, sermone, habitu indicari posse non est sane, quod negemus, ut viator Oedipo fidem habeat efficit. Quamquam viator, quippe qui nihildum de acerba senis fortuna certior factus sit, caecitatem ejus, mendacitatem, cultum, exsilium spectans calamitatem divinitus ei illatam esse potest colligere. Quare quum scelorum perpetratorum poena Oedipum teneri facilis sit suspicio, illius de generositate hospitis iudicium necesse est labefactari. Quod etsi viator fidem manifestam sequitur, tamen verba illa πλὴν τοῦ δαίμονος (si modo omiseris τὸν δαίμονα i. e. *deum vindicem facinorum, qui te agitare videtur*) non addere non potest. Quod autem Nauckius versu 76. sublato pro ἐπέπερ εἶ scribendum conjicit ἐπεὶ πάροι: ista sententia quum *adsis, mane isto loco quo conspectus es*, quia nulla est, ab ingenio poetae prorsus est aliena. An vero putas recte hoc statui, quod *adsit Oedipus*, viatorem illi ne loco cedat suadere?

V. 113: σιγήσομαι τε καὶ σὶ μ'ἔξ ὁδοῦ πόδα
κρύψον κατ' ἄλλος, . . .

Nihil est causae, quod particula τε, quam omnes libri exhibent, in τοι mutetur

id quod quibusdam visum est. Nam nec particulam illam confirmantem hoc loco καὶ copulativum recte excipit, et particulae τε καί, qua sunt notione, sententiae conveniunt. Atque simillima earum ratio est in v. 494: ἠκούσαμεν τε χῶ' ἢ δεῖ πρόστασσε δρᾶν. Sed πόδα scripturam esse subditiciam omnes fere interpretes hodie consentiunt, quum neque illis, qui πόδα κρύβον 'praegnanter dictum pro πόδα ἄγουσα vel ἀρμόζουσα' putant, nec illis, qui poetam Homericam verborum structuram, quam grammatici σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος vocant, secutum opinantur, accedere possimus. Nam illud exemplo caret, nec Homericum illud loquendi genus, ut sit Sophocleum, ad hunc locum pertinet, quum vix credibile sit poetam fecisse Oedipum dicentem *pedem meum* vel *pedes meos in luco occulta*. Eandem ob causam Hermannianum illud καὶ σύ μουξ̄ rejiciendum est. Nec Schneidewini πέρα aut Cobetii πάλιν aut Karajani πέλας probari possunt; ista enim adverbia sententiae non congruere apparet. Conjecturarum numerum quamquam augere possum, si πρόσω velim proponere, quod idem in v. 178, 180, 226 legitur quodque haud scio an istis conjecturis sententiae accommodatus sit, tamen persuasum mihi est poetam scripsisse τόδε, quod quidem jam conjectura assecutus sum, priusquam a Martino illud conjectum cognovi. Nam quum Oedipus, quamquam est in regione Furiis consecrata, nondum in luco, sed illo loco versetur, qui v. 56 χαλκίπους ὀδός dictus est et qui luco adjacet, sententia illius loci de quo quaeritur pronomen demonstrativum videtur postulare. Accedit quod literarum similitudo, quae est in πόδα et τόδε, illi conjecturae favet, id quod de ceteris dici non potest.

V. 133: — τὰ δὲ νῦν τιν' ἦκειν
λόγος οὐδέν' ἄζονθ',
ὄν ἐγὼ λεύσσων . . .

Dubitari non potest, quin aut scriptura versus 134 aut antistrophici 165: λόγον εἶ τιν' ἔχεις corrupta sit. Ac fuerunt qui versum strophicum nihil vitii habere rati metri resarciendi causa pro ἔχεις in v. 166 male censerent reponendum οὔσεις, quod in Laurentino superscriptum est. Reisigius autem pro ἔχεις scribendum coniecit ἴσχεις, quod quum aliis tum Meinekio non displicuit, qui idem se ait nescire an ἔξεις sufficiat. At tempus futurum a sententia alienum esse patet. Ac Brunckius, ut strophici versus metrum antistrophico aequaret, scriptum voluit οὐχ' ἄζονθ'. At ipsum ἄζονθ', quum activum illud insolens sit, offendit. Nam illud quod defendi solet, Sophoclem antiquorum verborum studio ductum ἔζονθ' quam ἄζόμενον hoc loco usurpare maluisse, parum idoneum est. Blaydesii autem οὐκ ἄλέγονθ' quamquam sententiae est accommodatum, tamen a vulgari scriptura nimis diversum est. Ego quidem οὐδέν' retineri ac scribi malim ἄνονθ', ut dipodia anapaestica reficiatur atque haec existat sententia: *Nunc autem fama est aliquem adesse nihil conficientem vel exsequentem* i. e. illorum quae chorus ad cultum dearum pertinere proximis versibus exposuit. Verbum illud apud Hom., Herod., Plat., Eurip., alios legi constat.

V. 156: περᾶς· ἀλλ' ἵνα τῷδ' ἐν ἀ-
φθέγκτῳ μὴ προπέσης νάπει
ποιάεντι, κάθ' ὕδρος οὐ
κρατῆρ' μελιχίων ποτῶν
δέματι συντρέχει·
τῶν, ξένη παμμορ', εὐ φύλαξαι·
μετάσταθ', ἀπόβαθι . . .

Si velis statuere ἵνα-μὴ προπέσης pendere ex φύλαξαι, erraveris, quia ἵνα μὴ

verbis cavendi non solet subjungi. Quare plerique scholiasten secuti *ἵνα* — *μὴ προπέσης* cum *μετάσταθ'*, *ἀπόβαθι* censent jungendum, quae structura, quia verba illa nimium distinentur, quum durior est tum ne sententiae quidem rationi convenit. Nam Oedipum, quum senibus in sermonem se dederit, constituisse nec jam interiorum luci partem petere cogitatione nobis fingamus necesse est; unde efficitur chorus non posse dicere *ἵνα* — *μὴ προπέσης* *νάπει* . . . *μετάσταθι*. Quodsi Oedipum longius progredi posset cogitari, senibus non illud erat dicendum sed: ne penetres . . . subsiste. Quare loco *ἵνα* particulae *ἀλλ'* exhortativo subjungendum conjunctio *ἄνα*, quod haud scio an huic loco sit aptissimum, quum Oedipum in luco subsedissee probabile sit, quippe quem poeta senio erroribusque confectum quum aliis locis (cf. v. 11., 21.) tum v. 194., quum de luco emersit, aventem fingat considerare. Atque post *ἄνα* interpungendum censeo. Qui sequitur conjunctivus *προπέσης* cum particula *μὴ* junctum vetantium est. Quod autem Oedipus, quum non progrediatur, in vallem illam silentem et herbosam penetrare vetatur, minime est mirum; nam est quod chorus timeat, ne Oedipus ut e luco prodiret admonitus interiorum vallis partem temere petat, ne in manus senum incidat. Iam quae sequuntur verba *τῶν*, *ξένης πάμμορος*, *εὖ φύλαξαι* non interposita sunt, sed chorus, quo vehementius Oedipi animum commoveat, quae antea monuit paucis complectitur; quare illa verba gravioribus notis a proximis discernenda sunt. Sed illud quaeritur, possitne probari *τῶν*, quod quidem, si consuetudinem sermonis spectaveris, cum *φύλαξαι* jungi posse forsitan neges. Ac Reisigius quum hoc statuatur, *τῶν* ex *μετάσταθι* pendere, interpositum esse *εὖ φύλαξαι*, locum ita interpretatur: 'Ne in profundum (?) proruas, discede ab his locis: cave tibi', quam explicationem a sententiarum ratione aberrasse nemo non videt. Brunckius autem et Doederlinus emendatione opus esse arbitrati sunt; e quibus hic accusativum *τό* desideravit, ille Homericum illud *τῷ* commendavit, quod quidem quum aliis tum Meinekio probatur. At illud praeter necessitatem conjectum est, hoc ne ordini quidem sententiarum congruit. Quamquam quid opus est pluribus? Vulgata scriptura *τῶν* non modo, ut supra demonstravi, sententiarum seriei convenit, sed etiam ad grammaticam rationem defendi potest. Nam si similes genitivos, qui inveniuntur in Ant. v. 448 (*οὐκ ἀλύξειτον μόρον*), in El. v. 627 (*τοῦδε οὐκ ἀλύξεις*), in Ai. v. 1044 (*ιῆς νόσον πεφηνέται*), qui loci comparari possunt cum Hom. Il. 6. 443 (*ἀλυσάξιν πολέμοιο*) et Od. 1. 18 (*πεφηνμένος ἦεν ἀέθλων*, non improbamus, nihil sane est, quod dubitemus, num *φύλασσεσθαι* cum genitivo potuerit copulari. Ut enim illis locis verbis *ἀλύσκειν*, *πεφηνέται* notio *τοῦ ἀπαλλάσσεσθαι*, *ἐλευθεροῦσθαι* subjecta est, ita *φύλασσεσθαι* ad similitudinem verbi *ἀπέχεσθαι* cum genitivo junctum est. Sed haec hactenus. Chorus autem postquam Oedipum etiam atque etiam commonuit, ut ab illa valle se abstineret, quod antea hortari incepit, quum diceret *ἀλλ' ἄνα*, planissime comprehendit his verbis: *μετάσταθ'*, *ἀπόβαθι*. Idem significant quae paulo post sequuntur verba *ἀβῶτων ἀποβάς*. Atque ut repetitio unius ejusdemque praecepti summae chori pietatis ac religionis est, ita concisa illa atque infracta oratio animos senum ob violatam loci sanctitatem concitatos refert. Nam cujus animus subitae atque improvisae rei admiratione, indignatione, sollicitudine, metu, aliis affectibus commotus est, is voces ac sententias eodem pertinentes accumulatur.

V. 242 sq.

Chorus de senis nomine ac de nefanda ejus stirpe certior factus, quamvis Oedipus fidem sibi antea datam testetur, e terra eum jubet excedere, ne quam civitas inexpiabilem labem concipiat. Tum Antigone senes commovere studet, ut miseri patris misereantur, quum alia tum haec dicens:

ὦ ξένοι, οἰκτιρέαθ', ἃ
 πατρός ὑπὲρ τοῦ μόνου ἄντομαι,
 ἄντομαι οὐκ ἀλαοῖς προσορωμένα
 ὄμμα σὸν ὄμμασιν, ὡς τις ἀφ' αἵματος
 ὑμετέρου προφανείσα, τὸν ἄθλιον
 αἰδοῦς κῦρσαι . . .

Versum 243, si metrum et sententiam ejus spectes, facere non poteris, quin mendo affectum esse statuas. Nam τοῦ μόνου, sive interpretaris: *pro patre solo, non pro alio vobis supplico*, sive μόνου pro μονωθέντος dictum statuis atque explicas: *pro patre deprecor ab omnibus deserto, omni auxilio orbato*, quum ista notione haud ita differant a verbis τὸν ἄθλιον, sententiae rationi parum accommodatum est. Nec Hermannus, qui librorum lectiones discrepantes conjunxit atque scribendum censuit τοῦ ἰμοῦ μόνου, laudari potest, praesertim quum metri dactylici cursum, quem qui sequuntur tetrametri dactylici suadere videntur, pedibus absonis insertis inhibuerit. Ac Nauckius desiderat adjectivum, quod afflictam Oedipi fortunam significet; quod idem Meinekius quum sentiret, πατρός ὑπὲρ τοῦ δυσμύρου ἄντομαι scripsit. At illos criticos fugit ἄθλιον, quod in v. 246 est; illud quidem non adducor ut credam, poetam nomina illa idem valentia in una enuntiatione ista ratione usurpasse. Quodsi Antigones orationem perlustraveris, illud animadvertes, virginem nihil a senibus efflagitare nisi hoc, *patris miseri verecundiam ut habeant atque misericordia in eum utantur*, quod quidem verbis τὸν ἄθλιον αἰδοῦς κῦρσαι significatur; praeterea causas affert. Quare equidem poetam existimo scripsisse πατρός ὑπὲρ τῶ δ' ἐμοῦ μόνου ἄντομαι, hoc unum pro patre meo supplicibus verbis oro.

V. 256: τὰ δ' ἐκ θεῶν τρέμοντες οὐ σθένοιμεν ἄν
 φωνεῖν πέρα τῶν πρὸς σὲ νῦν εἰρημένων.

Quod vulgo scribitur πρὸς σὲ νῦν, quum chorus patrem, non filiam spectet illud adhortans, ut sacra illa sede relicta ocuis terra excedat (cf. v. 232 σὺ δὲ τῶνδ' ἐδράνων πάλιν ἔκτοπος . . . χθονὸς ἐκθορε), offensionem habet. Quare Nauckius versum 257 sic refingendum conjicit: φωνεῖν πέρα τι τῶν τὰ νῦν εἰρημένων, quae quidem scriptura vulgatae lectioni parum similis est. Nescio an hoc propius ad verum accedat: φωνεῖν πέρα τῶν πρόσθε τῶ δ' εἰρημένων.

V. 276: ὡςπερ με κἀνεσθήσαθ', ὡδε σφίσατε,
 καὶ μή, θεοὺς τιμῶντες, εἶτα τοὺς θεοὺς
 μοῖραις ποιεῖσθε μηδαμῶς· ἡγεῖσθε δὲ
 βλέπειν μὲν αὐτοὺς . . .

Codicum varias scripturas τοὺς θεοὺς μοῖραις ποιεῖσθε, τ. θ. μοίρας π., τ. θ. μοῖραν π., quamquam controversia non est, quin a Graecae linguae consuetudine abhorreant, tamen reperti sunt qui defenderent. Ac Reisigius quidem μοίρας amplexus μηδαμῶς idem esse censet atque μεδαμῶς, qui usus exemplis confirmari nequit. Nec quae ab iis qui μοῖραν tuentur, afferuntur, ad locutionem θεοὺς μοῖραν ποιεῖσθαι muniendam idonea sunt. Nihilo probabilius istud τ. θ. μοίραις π. explicatur. Nec vero conjecturis quas cognovi, quod sentiam, illa difficultas expedita est. Nam quod Brunckius, cui Meinekius assentitur, scribendum censuit: εἶτα τῶν θεῶν μοῖραν π. μηδαμῶς usu non probatur. Ac Bothianum illud μοίρας ποιεῖσθε μηδαμῶς, quum μηδαμῶς apud Atticos scriptores non legatur, a Nauckio jure rejectum est. Dindorfius autem ad similitudinem locutionum ἐν μοίρα εἶναι, ἀγειν conjecit μοίρα, sed quae affert exempla, ut praepositionem ἐν omitti posse doceat, aliena

sunt. Atque quos commemoravi interpretes *μηδαμῶς* male acceperunt. Nam sive Brunckiana sive alia ex illis scripturis spectatur, videndum est, ne aliud dicatur aliud dici necesse sit. Ut enim *μοῖραν υἱος ποιῆσθαι* recte dicatur, *μη τῶν θεῶν μοῖραν ποιῆσθε μηδαμῶς* nihil aliud significat nisi hoc: nolite diis *ullum* honorem habere, quum Oedipus ut illud moneat, deos (Apollinem, oraculorum auctorem et Jovem *ξένιον, ἰκέσιον*) nullo numero haberi a senibus, quia se supplicem cujus patrocinium susceperint, terra expellere in animo habeant, hoc quidem dicere debeat: nolite deos colentes eosdem in *nullo* habere numero. Quod Musgravius quoque sensisse videtur, quum scribi voluerit *εἶτα τ. θ. μοῖρα ποιῆσθ' ἐν μηδαμῶν*. Quamquam ipsa conjectura probari non potest, quia *μηδαμοί* et vox Herodotea est nec idem valere potest atque *μηδένας*, quod quidem apud tragicos idem significat atque *οἱ μηδενὸς ἄξιοι*. Nauckius autem et Martinus, e quibus ille scripsit *καὶ μή, . . . τοὺς θεοὺς μαύρους ποιῆσθε, μηδαμῶς*, hic conjecit pro *μοῖραις* ponendum *μείους* quamquam veram illius loci sententiam assecuti sunt, tamen a vocabulo aberraverunt. Neque enim *μαύρους ποιῆσθε* pro *ἀμυροῦτε* vel *μανροῦτε* dici posse consuetudine confirmatur, nec verbo *τιμῶντες* recte opponitur. Nam verbi *καλύπτειν*, quod in v. 282 est, quo Nauckius istud opinatur commendari, quum transferatur ad splendidam Atheniensium erga deos pietatis gloriam, quam Oedipus et v. 260 et illo quem commemoravi loco laudibus fert, longe aliam esse rationem apparet. Itemque alteram conjecturam, quum verba *μείους ποιῆσθαι*, ut iis notio elevandi vel detrahendi sit subjecta, in deos non cadant, ab hoc loco alienam esse patet. Mihi quidem mendum esse in *ποιῆσθε* videtur. Fieri non posse, quin verbo *τιμῶν* hoc loco notio negligendi recte opponatur, supra exposui. Quodsi hoc loco, quo magis illud quod Oedipus monet senum in animos penetret, particula negans iterari potest, quod quidem v. 1407 sq. *μή τοί με πρὸς θεῶν . . . μή μ' ἀτιμάσητέ γε*, Phil. v. 1300 ἄ, *μηδαμῶς, μή πρὸς θεῶν μεθ' ἧς βέλος*, Oed. R. v. 1165 *μή πρὸς θεῶν μή, δέσποθ', ἰστόρει πλέον*, El. v. 1208 aliis locis comprobari videtur, persuasum habeo veram esse hanc scripturam: *καὶ μή, θεοὺς τιμῶντες, εἶτα τῶν θεῶν μοῖραν πρόησθε, μηδαμῶς*. Nam et *πρόησθε* male exaratum, et *TON ΘΕON*, praesertim quum *θεοὺς* proxime praecedat, facile potuit depravari. Atque *θεῶν μοῖρα* (justus deorum honor) similiter dictum est atque *νεοτέρων δωρήματα, λιταὶ θεῶν, πρόσφαγμα θεῶν, εὐχαὶ θεῶν*, id genus alia.

V. 303: *μακρὰ κέλευθος, πολλὰ δ' ἐμπόρων ἔπη
φιλεῖ πλανᾶσθαι, τῶν ἐκεῖνος ἄτων,
θάρσει, παρέσιαι· πολὺ γάρ, ὦ γέρον, τὸ σὸν
ὄνομα διήκει πάντας, ὥστε κεῖ βραδὺς
εὐθεῖ, κλύων σου δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς.*

Omnes fere interpretes Musgravii exemplum secuti mirantur, quod, quum decem tantum stadia Athenae distent a Colono, via ab urbe ad pagum illum ferens longa dicatur. Neque tamen est, quod de integritate scripturae dubitetur, et Musgravianum illud *μικρά*, quod cogitandum est ne pro *βραχεῖα* non possit dici, tantum abest ut sententiarum rationi conveniat, ut ei repugnet. Namque chorus hospiti dubitanti num Theseus rogatu arcessituque nuntii caecum ad hominem accessurus sit, v. 301 persuadet regem Oedipi nomine audito certe venturum esse. Tum, quia nuntius nomen illud non audierat, a sene interrogatus quis regem de nomine illo certior facturus esset, v. 303 sq. hoc docet, regem Oedipi nomen facile posse resciscere. Atqui chorus non illud potest dicere, regem celeriter viam illam, quippe quae brevis sit, conficere posse, aut propter viae brevitatem nomen peregrini cito regis ad aures perventurum esse, sed hoc eum dicere necesse est, in itinere ut The-

seus nomen illud e viatoribus audiat fieri posse, quod quidem jure optimo videor colligere ex v. 553, ubi poeta regem facit dicentem se in itinere de Oedipo cognovisse. Atque facile intelligitur, quid sibi velit illud *μακρὰ κέλευθός (έστν)*. Scilicet quamvis exiguum spatium pro suo quisque consilio ac pro rerum condicione aut breve aut longum judicare potest. Chorum igitur viam illam longam ita dicere apparet, ut Theseo satis multos viatores obviam futuros esse significet, e quibus audire possit peregrinum illum, qui in luco Eumenidum versetur, esse Oedipum. Quae explicatio v. 162 sq. (*πολλὰ κέλευθος έραυνει κλύεις, ώ πολύμοχθ' αλάτα;*), qui locus ab interpretibus neglectus est, luculentissime mihi videtur comprobari. Nam illo loco chorus quamquam ab Oedipo in lucum ingresso, quum sermonem cum eo conferat, modico intervallo abest, verens ut ab illo quod monuerit auditum sit, interjectum spatium dicit longum. Quid? Via ab Athenis ad Colonus ducens quamquam decem tantum stadiorum erat, nonne meliore jure dici potuit longa? — Sed ut ad alteram illius loci difficultatem veniam, quod traditum est *είδει*, quum et propriam et translata vim a sententia abhorreere appareat, nescio an nemo a Sophocle profectum esse sibi persuadeat. Atque ex iis quae supra disputavi intelligitur loco verbi *είδει* talem vocem desiderari, quae cadat in Theseum iter ingressum. Quare Seidlerianum *κει βραδύς έρδει* ('etiamsi tardius egerit') improbandum est. Quominus autem hoc statuamus, verbo illo quod interciderit tarditatem quandam Thesei propriam denotatam fuisse, particula *κει* impedit; istud enim si poeta significasset, certe *εί και* legeretur. Quapropter quod Meinekius colligit, 'videri poetam Theseum ad Periclis exemplum tardiusculo gravique gressu fecisse utentem', quod quidem ex v. 890 (*δευρ' ηξα θάσσον η και' ηδονήν ποδός*) haud scio an recte efficiatur, ex hoc loco non intelligitur. Ac ne *βραδύς σπεύδει* quidem, quod Eldikius ad similitudinem pro-verbii illius '*σπευθε βραδέως*' scribendum censuit, quam conjecturam Nauckius recepit, laudari potest. Nam ut *βραδύς* pro *βραδέως* recte dicatur, tamen proverbium illud quum sit praeceptum ejus, qui aliquem monet, ut prudenter atque consilio agat, videndum est ne in Theseum brevem viam conficientem minus recte transferatur. Magis Brunckianum illud *εργει*, quod quum aliis tum Meinekio probatur, sententiarum ordine commendatur. Sed ego dubito an rectius conjiciam *όδοῦ* scribendum, quod quum significet *viam praevire*, de rege iis quos secum habet antecedente apte videtur dici. Ac verbum illud, quod quidem apud Aeschylum et Euripidem legitur, ne a Sophocle quidem usu alienum fuisse v. 495 (*έμοι μεν ούχ όδωτά*) videtur confirmari.

V. 367: *πριν μεν γάρ ανιοις ην έρις, Κρόνι τε
θρόνους έασθαι μηδє χραινεσθαι πόλιν,
λόγω σκοποῦσι την παλαι γένους φθοράν...*

Vulgatam lectionem *έρις* nescio an nemo praeter Meinekium defendat. Neque enim erat, cur fratres avunculo regnum concedentes et urbem nolentes stirpis labe contaminari venirent in contentionem, neque illi laudari possunt, qui quum *εριν* hoc loco intelligant *εριν αγαθών*, *honestam certationem*, explicant fratres primo facilitate ac moderatione inter se certasse, tum aemulationem honestarum rerum in *εριν κακήν* (cf. v. 372) conversam esse; non enim istud in verba *χραινεσθαι πόλιν* transferri potest. Nec vero scripturae corruptela ab interpretibus probabiliter emendata est. Quominus corrigatur *πριν μεν γάρ ού τοις ην έρις* et verborum ordo et quod sequitur *μηδє χραινεσθαι πόλιν* obstat, nec *τοις* admitti potest. Item Tyrwhittianum *ερως* a sententia abhorreere patet. Nec *ηρεσεν*, quod Bergkianus pro *ην έρις* scribi voluit, illi loco convenit, quum praesertim aoristus offendant. Ac ne *όρος* qui-

dem Nitzschianum, quod Nauckius verbis poetae inserere non dubitavit, probari potest, quum et istud ὄρος ἐστὶ ἀνι displiceat neque ἦν ὄρος idem atque ὠριστο valeat nec recte hoc dicatur: *Constitutum erat* fratribus, *ne urbem contaminarent*, quum illi modo vereantur, ne ipsi nefanda stirpe orti regno occupato urbem perdant. Perquam mire Meinekius ratur *αὐτοῖς Κρέοντι τε* conjungenda atque *χραινέσθαι* mutandum esse in *κραινέσθαι* locum ita interpretatur: 'Initio inter ipsos et Creontem disceptatio erat atque adeo inter eos conveniebat, ut regia potestas abrogaretur nec civitas tyrannico imperio regeretur'. At et *θρόνους ἐᾶσθαι* male acceptum et verba 'atque adeo inter eos conveniebat' temere suppleta esse patet. Atque ille particulas *τε* et *μηδέ* inter se respondere posse perperam negat. Mihi quidem in mentem occurrat Platonium illud *ἔσις* (*voluntas, studium*), quod ad vulgatam scripturam proxime accedit et, si quid sentio, sententiae maxime consentaneum est. Nam hoc probabile esse videtur: Prius enim illi id agebant, ut Creonti regnum concederent neve urbem inquinarent, cet.

V. 377: ὁ δ', ὡς καθ' ἡμᾶς ἐσθ' ὁ πληθύων λόγος,
τὸ κοῖλον Ἄργος βὰς φρυγᾶς, προσλαμβάνει
κῆδος τε καινὸν καὶ ξυνασπιστὰς φίλους,
ὡς αὐτίκ' Ἄργος ἢ τὸ Καδμείων πέδον
ἡμῆ καθέξων ἢ πρὸς οὐρανὸν βιβῶν.

Ismene hoc loco idem eloquitur quod Polynices v. 1306. sq. (*ἢ θάνοιμι πανδί-
κως ἢ τοὺς τὰδ' ἐκπράξαντας ἐκβάλοισι γῆς*) exprimit, nisi quod oratio ornamentis distincta est, quum soror cum acerbitate quadam faciat fratrem more insolenter jactantium loquentem. Sed hoc offendit, quod illa in Argivos transferuntur, quae dici sit necesse de Polynice, quippe qui, quamquam nisi Argivis adjuvantibus Thebae expugnari non possunt, rei gerendae auctor idemque belli dux sit, id quod ex v. 1325. (*ἄγω τὸν Ἄργους ἄφοβον ἐς Θήβας στρατὸν*) planissime apparet. Accedit quod omnes codices praeter unum *καθέξων* exhibent, quod interpretes plerique ad *Ἄργος* referendum rati in *καθέξων* mutandum censuerunt. Alii vulgatam scripturam amplexi ad exemplum scholiastae locum illum mirum in modum explicaverunt. Atque *Ἄργος* ideo displicet, quod in v. 378. eadem vox legitur. Quibus de causis *Ἄργος* ex versu 378. repetitum esse et verba illa *ἢ τὸ Καδμείων πέδον ἡμῆ καθέξων κτέ.* de Polynice dicta fuisse probabile est. Quaestio igitur est, quid pro *Ἄργος* scribendum sit. Ac Nauckius quidem haud sane probabiliter suspicatur *αὐτὸς* cum *Ἄργος* commutandum; nihil enim in sententia est, cui pronomen istud recte opponatur. Meinekius autem, qui conjicit scribendum *Ἀργόθεν*, a sententia prorsus aberravit. Qui tandem *Ἀργόθεν* cum *καθέξων* conjungi atque explicari potest 'Argis profectus eorumque auxilio sustentatus'? Mihi quidem persuasissimum est poetam scripsisse *ὡς αὐτίκ' ἄρξας ἢ τὸ Καδμείων πέδον ἡμῆ καθέξων κτέ.* Namque aoristum scriptores Attici haud raro ita usurpant, ut significant aliquem in eum statum venisse, quem verbum indicet. Huc spectant participia *βασιλεύσας* (rex factus), *στρατηγήσας* (dux factus), *ισχύσας* (potens factus). Sed quid opus est exemplis in re apertissima? Jam intelligitur, quid sibi velit *αὐτίκα*. Nam temere mihi illud videntur interpretari 'facili negotio'. Immo vero *αὐτίκα* recte cum participio *ἄρξας* jungitur. Namque participiis adverbium *αὐτίκα*, *εὐθύς*, *μεταξὺ*, *ἄμα*, *ἐξαίφνης*, alia ut tempus accuratius definiatur addi inter omnes constat. Nec vero *ἡμῆ*, quod ego sentiam, tentandum est. Blaydesii quidem *αἰχμῆ*, quum per se intelligatur Thebas vi atque armis esse expugnandas, inane est. Sententia igitur haec est: *Utpote dux factus s. exercitui praefectus confestim Thebanos aut cum victoria gloria subacturus aut (si inferior discesserit vel in bello ceciderit) ad coelum (ad summam gloriam) elaturus.*

V. 402: κείνοις ὁ τύμβος δυστυχῶν ὁ σὸς βαρῦς.

Vulgatam scripturam *τύμβος δυστυχῶν*, quae interpretes multum exercuit, alii aliter arbitrato suo intellexerunt. Atque Elmsleius explicavit: 'si justis honoribus caret', quam interpretationem hodie plerique amplectuntur. At istud quidem voci *δυστυχῶν* non subest. Quid vero? nonne fieri poterat, ut externa in terra Oedipi funeri justa solverentur? Neque isti interpretationi ordo sententiarum favet. Nam Thebani quod oraculo editum erat, Oedipum vel mortuum vel vivum ab ipsis salutis publicae causa expetitur iri, quum qui illum sepelivissent, iis commodum esset allaturus, ita interpretantur, quasi illis mortuus commodum sit allaturus, in quorum potestate futurus sit. Quare Oedipum, quum nefariis sceleribus inquinatum in exilio esse oporteat nec in patria eum sepeliri fas sit (cf. v. 407: ἀλλ' οὐκ ἔα τοῦμυλον αἷμα..), in regione patriae finitima volunt collocare, ubi eum in ipsorum potestate futurum esse aut ubi sepulcrum ejus facilius a se occupatum iri sperent, quam si in longinquiore terra sepultus sit (cf. v. 399 sq.). Eodem spectat quod Oedipus (v. 401.) interrogat, cui utilitati futurus sit foris κείμενος, quod quum ad στήσωσι (v. 399.) referendum sit aut est 'collocatus', aut quum senex de obitu sibi instante cogitet, 'conquiescens'. Hinc intelligitur Thebanorum non illud interesse, ut mortuus justis honoribus afficiatur, sed ne in alienam potestatem veniat, neve in *externa* terra sepeliatur. Hoc enim si acciderit, in externam civitatem ex Oedipi sepulcro commoda illa oraculo proposita redundatura sunt, Thebanis autem illius sepulcrum exitiosum est futurum. Quare Brunckium, quum scholiasten secutus sit interpretatus: *τύμβον δυστυχοῦντα* dictum esse 'tumulum infelicem i. e. tumulum in peregrina terra', et Heathium, quum explicaverit: 'illis quidem sepulcrum tuum, si eo frustrentur, grave est futurum', veram sententiam assecutos esse negari non potest; neque tamen qui ista e vulgari scriptura extorqueri possint liquet. Reisigianum autem *δυσμαχῶν* et inane est et a sententiarum ordine abhorret. Idem de Schenklio dici potest, qui (Philol. XVII. p. 37.) κείνοισι τύμβος δυστυχοῦσι σὸς βαρῦς scribendum coniecit. Non enim fieri potest, quin hoc Ismene dicat, tumulum Oedipi in *externa* terra exstructum Thebanis exitiosum esse futurum. Atqui apparet Thebanis ab externa civitate incommoda afferri non posse nisi bello cum illa implicatis. Huc spectant v. 411. (σοῖς διὰν σιῶσιν τάφοις), v. 450. (ἀλλ' οὔτι μὴ λάχῳσι τοῦδε συμμάχῳ), v. 621. sq. (ἴν' οὐμὸς... νέκυσ.. ἀντιῶν θερμόν αἷμα πίεται), v. 1332. (οἷς ἂν σὺ προσθῆ, τοῖσδ' ἔφασκ' εἶναι κράτος). Quare poetam suspicor scripsisse κείνοις ὁ τ. δυσμενῶν ὁ σὸς βαρῦς i. e. *Thebanis tumulus tuus hostium (ab hostibus exstructus) gravis (exitiosus) futurus est*. Qui hostes sint, eosdem externos esse per se intelligitur. Illud si scriptum est, recte sequitur quod Oedipus respondet. Atque *δυσμενῆς* aequae atque ἐχθρός ad futurum hostem ita transferri potest, ut praecipue infestus animus indicetur, sine quo bellum non coorietur. Genitivum autem possessivum quem vocant apud poetas saepissime ita usurpari constat, ut illam rem significet, a qua id unde genitivus pendeat proficiscatur. Huc sunt referenda haec exempla: κύματα ἀνέμων, τῶν ἐχθρῶν κακά, μόχθος ἰέκνων, δαιμόνων τύχας (cf. Kr. Gr. II. §. 47. 5. 1).

V. 457: εἰάν γὰρ ὑμεῖς, ὦ ξένοι, θέλητέ μου
πρὸς ταῖσι τοῖς σεμναῖσι δημοῦχοις θεαῖς
ἀλκὴν ποιῆσθαι, τῆδε μὲν πόλει μέγαν
σωτήρ' ἀρεῖσθε, τοῖς δ' ἐμοῖς ἐχθροῖς πόνους.

Nauckius versuum 458. et 459. ordinem invertendum suspicatur, ut haec sententia existat: Si me defendere velitis, praeter Furias, quarum in tutela populus

vester est, Apollinem novum terrae praesidem conciliabitis. At nihil est, quod Furiae praeter ceteros eosque majores deos, qui terrae illi praesidebant, hoc loco terrae praesides dicantur; nec video, qui dearum majestas imminuatur, id quod illi videtur, si Oedipus exoptat ut Colonei cum Furiis, quippe quarum in tutela se futurum oraculo edoctus sit, ab inimicorum vi ipsum defendant. Atque Nauckius contra auctoritatem codicum, quorum partim *τῆδε μὲν πόλει*, partim *τῆδε τῆ πόλει*, partim contra metrum *τῆδε μὲν τῆ πόλει* exhibent, in v. 459. *πόλει* in *τῆ γῆ* et in v. 460. lectionem vulgarem *τοῖς δ' ἐμοῖς* in *δὲ γῆς* perperam mutavit. Nam ut illud missum faciam, iteratam istam vocem displicere, hoc offendit, quod *γῆς* in v. 460. pronomine demonstrativo caret. Denique quod vir ille doctissimus, ut istud *γῆς* tueatur, Coloneos ad excipiendum Oedipum negat impelli nisi ita posse, si ipsorum hostes ut in angustias adducantur futurum sit, quum nihil illorum intersit, qualem fortunae exitum senis adversarii habituri sint: cogitandum est, ne ille a sententiarum ordine aberraverit. Namque v. 450. sq. Oedipus bellum fraternaliter infelicem exitum habiturum esse praedicit, quum neget filios ipso adiutore usuros aut imperio Thebarum fructuros esse, id quod ei novorum cum veteribus illis oraculis de ipso editis contentu significari videtur. Itaque sive Thebani Creontem sive alium, qui opibus valeat, ad ipsum arcessendum mittant, se vi non iri abstractum, id quod cogitatione supplendum est. Hoc ut argumentis confirmet, v. 457. sq. dicit: Nam si vos cum deabus augustis me (contra Thebanos) defendere velitis, et Apollinem (qui illud oraculum ad exitum perducturus est) magnum adiutorem habebitis atque vindicem et adversarios meos in angustias adducetis. Apparet Oedipum hoc loco non de futuris Atheniensium hostibus, sed de suis inimicis, Thebanis, dicere, quos cum Atheniensibus propter ipsum brevi pugnuros esse opinatur. Atque manifestum est Oedipum non de utilitate illa, quae ex ipsius sepulcro ad Athenienses redundatura sit, sed *de victoria dicere, quam illi brevi ab ipsius adversariis reportaturi sint*; quod idem ex versu 288., ubi senex utilitatem, quam urbi allaturus sit, planius se expositurum dicit, *quum rex accesserit*, optimo jure mihi videor colligere. Hoc igitur probabile non est, Oedipum v. 460. de eadem illa utilitate apud senes loqui.

V. 500 sq.

Oedipus quae chorus de placandis deabus, quarum ille calcaverat solum, praecepit, alterutri filiarum mandat perficienda, quoniam ipse quominus illa exsequatur et imbecillitate et caecitate prohibeatur; unam enim animam, si pia sit, vel pro sexcentis hominibus ad illa expianda satis idoneam esse. Tum dicit haec:

*ἀλλ' ἐν τάχει τι πράσσειον· μόνον δέ με
μὴ λείπει· οὐ γὰρ ἂν σθένει τοῦμὸν δέμας
ἔρημον ἔρπειν οὐδ' ὑψηλοῦ δ' ἄνευ.*

Qui pronomen *τι*, quod omnes fere codices praebent, eadem notione qua adverbis adjungeretur verbis *ἐν τάχει* additum censuerunt, eos errasse controversia non est. Alii, in quibus Meinekius, quum saepe Atticorum moderatio *τι* usurpet in re certa et definita, pronomen illud cum *πράσσειον* volunt conjungi, ut dictum sit pro *τούτων τι* i. e. *ταῦτα*, quod probari non potest; nam locis illis qui ad sententiam istam firmandam afferri solent, *τούτων* vel *ταῶνδε* vel *τῶν* pronomini *τι* adjectum est, velut in Oed. T. v. 1140. *λέγω τι τούτων*, in Ant. v. 35. *ὅς ἂν τούτων τι δράῃ*, in Aesch. Eum. v. 468. *εἰ μὴ τι τῶνδ' ἐρξάμι*, in Ag. v. 1059. *εἰ τι δράσεις τῶνδε*. Quod quum *τι* non idem valeat atque *τι τούτων*, pronomen illud hoc loco admitti non potest, praesertim quum de certis religionibus praeceptum sit, ad quas Oedipus spectans in v. 497. et 499. *τάδε* dicit. Nec *ἐν τάχει τι*, quod Schneidevinus ad similitudinem Ai. v. 853. *ἀλλ' ἀρκτέον τὸ πρᾶγμα σὺν τάχει τινί* scripsit,

laudari potest, quum praesertim non sine causa de integritate versus illius ex Ai. petiti dubitetur. Ac Nauckius secutus Hermannum recepit *τοι*, quod unus e codicibus exhibet. At quae ex Ant. v. 473., El. v. 298. petuntur testimonia, parum idonea esse videntur, quum illis locis particula *τοι* imperativo *ἀλλ' ἴσῃ* sit *subiuncta*. Equidem malim scribi *ἀλλ' ἐν τάχει τις πρᾶσσέτω*, quod quum Oedipus proximis quoque versibus generatim atque universe loquatur, huic loco videtur convenire. Cf. v. 488. *αἰτοῦ σύ τ' αὐτὸς κεί τις ἄλλος ἀνὶ σοῦ*.

Restat, ut de versu 502. pauca dicamus. Plerique codices cum Laur. praebent *οὐδ' ὑφηγητοῦ δ' ἄνευ*, ceteri variant *ὑφ. γ' ἄνευ*, *ὑφ' ἡγητοῦ γ' ἄνευ*. Sed quia voces *ἔρημος* et *ὑφηγητοῦ ἄνευ* notione hoc loco non differunt, iteratio particulae negantis offensionem habet. Accedit, quod particula copulativa, ubicunque Sophocles, ut notioni alicui vim addat, simili orationis ubertate utitur, non invenitur. Quo in genere comparari possunt Ai. v. 464. (*γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερο*), v. 750. (*οἶος Ἀτρεϊδῶν δίχα*), Phil. v. 31. (*ὄρω κενὴν οἴκησιν ἀνθρώπων δίχα*), Tr. v. 1063. (*μόνη με δὴ καθεῖλε φασγάνου δίχα*). Nec vero *ὠδ'*, quod Hermannus, alii pro *οὐδ'* scribi voluerunt, probari potest, quia Oedipus, quum ista dicit, non est desertus; istud enim *ἔρημον ὠδ'* significat *desertum quale est*. Probabilior emendandi ratio mihi haec videtur, ut scribamus *τοῦδ' ὑφ. δίχα*. Nam *δίχα* ab Hermanno pro *γ' ἄνευ* recte conjectum videtur. Quodsi verba illa ad chorum conversa esse cogitatione fingas, pronomine illo Antigonen apte significari concedes. Atque *τοῦδ' ὑφηγητοῦ* in illam virginem, quippe quam poeta forti ac virili animo omnes exsilio molestias una cum patre faciat tolerantem, posse transferri, El. v. 391. (*πεσοῦμεθ', εἰ χρεὴ, πατρὶ τιμωροῦμενοι*, quod Electra magnitudine animi elata de se dicit, Eur. Andr. v. 711. *ἢ στείρος οὐσα μόσχος οὐκ ἀνέξεται τίκτοντας ἄλλους, οὐκ ἔχουσα αὐτῆ τέκνα*, Xen. C. 2. 7. 2. *συνεληλύθασιν ὡς ἐμὲ καταλελειμμένοι ἀδελφαί τε καὶ ἀδελφιδαὶ καὶ ἀνεμιαὶ τσσαῦται, ὥστ' εἶναι... τεσσαρεςκαίδεκα τοὺς ἐλευθέρους*, aliis exemplis comprobatur.

V. 521; *ἦνεγκον κακόται', ὦ ξένοι, [ἦνεγκον] ἄκων [μέν], θεὸς ἴστω, τοῦτων δ' ἀυθαίρετον οὐδέν*.

Nauckius, quum *ἄκων* metro repugnet, e versu 521. *ἦνεγκον* alterum et *μέν*, quibus facile careas, e versu 510. verba *ἤδη κακόν*, quae, quum verbis *τὸ πάλαυ κείμενον ἐπεγείρειν* vetus proverbium verisimile sit significari, ab interpolatore addita videantur, vult removeri, quae emendandi ratio maxime probabilis est. Pejus se habent verba *τοῦτων δ' ἀυθαίρετον οὐδέν*; nam prorsus discrepant numeris a versu strophico, in quo mendum non inesse ex finitimorum versuum aequalitate intelligitur. Quare dubitari non potest, quin illa verba corrupta sint. *Ἐθελητόν* autem, quod Hermannus pro *ἀυθαίρετον* voluit poni, caret exemplo, atque notionem voci *ἄκων* similem iterari displicet. Quum Oedipus v. 548. sq. homicidii ac parricidii utatur excusatione, simili ratione poetam matrimonium nefarium fecisse ab illo excusari verisimile est. Quare G. Wolfius recte conjecisse videtur scribendum *ἀκάθαρτον*. Sed *τοῦτων* quoque, quum in versu proximo nihil sit, quo illud pronomen referatur, offensionem habet, nisi forte hoc statuere velis, Oedipum isto pronomine id significare, quod cogitet, vereatur proloqui. Quare suspicor scribendum *κακῶν*, quod a librario *κακόται'* male interpretante pronomine *τοῦτων* commutatum esse probabile est. Atque v. 637. Oedipus flagitia per imprudentiam perpetrata *κακά* dicit:

V. 551: *πολλῶν ἀκούων ἐν τε τῷ πάρος χρόνῳ
τὰς αἵματηρὰς ὀμμάτων διαφθορὰς,
ἔγνωκά σ', ὦ παῖ Λαίου, τὰ νῦν θ' ὁδοῖς*

ἐν ταῖσδ' ἀκούων μᾶλλον ἐξεπίσταμαι
σκενὴ τε γὰρ σε καὶ τὸ δύστηνον κάρα
δηλοῦτον...

Nauckius v. 552., quod Theseum plura de Oedipo quam cruentum istum oculorum interitum cognovisse probabile sit nec fieri potuerit, ut exsul sola caecitate noscigaretur, deinde quod animi duri atque agrestis sit eum, quem primum alloquaris, de tanto malo aspere monere, denique quod verba illa ex Eur. Phoen. v. 870. (*αἱ Φαίμαιωποι δευγμάτων διαφθοραί*) assumpta videantur, suppositum ratus uncis inclusit. At versu illo sublato id requiritur, ad quod ἀκούων referatur. Quid vero putas Theseum praeter caecitatem de Oedipo cognovisse? An scelera fortunaeque vicissitudines? At ista nihil sane ad rem, quum hoc loco de certa nota agatur, qua Oedipus cognosci possit. Atque formam ac speciem oculorum senis fibulis effessorum satis opinor insignem atque a caecitate morbo vel alio casu allata diversam fuisse, ut ille magis caecitate quam cultu ac specie, quae ei cum multis erant communia, posset noscitari. Nec video, quid offensionis habeat commemoratio illius mali, quippe cujus Oedipus ipse saepissime mentionem faciat. Nec illius versus cum Euripideo similitudo nisi una voce *διαφθοραί* cernitur. Quae quum ita sint, fieri non potest, quin v. 552. teneatur. Sed hoc assentior Nauckio, v. 553 sq. mendo esse affectos. Neque enim liquet, quorsum particula γὰρ in v. 556. spectet, nisi eorum quae proximis versibus dicta sunt rationem exponi putes, quod quidem, ut nunc se locus habet, statui non potest. Nam si versibus proximis Theseus in hanc sententiam loquitur: *Et quum e multis superiore tempore cruentum istum oculorum interitum audierim agnovi te (simulatque nuntius de te mihi allatus est) et nunc quum in hac via de eō audierim, certius agnosco (te esse Oedipum)*, versus 555 sq. particula γὰρ minus recte annecti apparet; nam quum verba *ὁδοῖς ἐν ταῖσδ' ἀκούων* contineant causam *τοῦ μᾶλλον ἐξεπίστασθαι*, fieri non potest, ut illud quod ad externam exsulis speciem pertinet, ejusdem rei rationem afferat. Sed *λεύσσων*, quod Nauckius pro ἀκούων in v. 554 vult scribi, recepit Meinekius, si probare velis, vide ne structura verborum durissima sit, quum et e versu remotiore ἀκούων ad *ὁδοῖς ἐν ταῖσδ'* sit supplendum et illud desideretur, ad quod *λεύσσων* referatur, nec fieri possit, quin pro verborum ordine *λεύσσων* cum *ὁδοῖς ἐν ταῖσδ'* jungatur. Equidem suspicor scribendum *ἄ νῦν Φ'ὁδοῖς ἐν ταῖσδ' ἀκούω*, ut oratio ita procedat: quae nunc in hac via audivi, certius scio; nam cultus et miserum caput tuum declarant nobis te esse Oedipum. Ne concursu verborum *λαίον* et *ἄ* hiatus effici videatur, comparentur v. 1627. (*ὦ οὔτιος*), 1720. (*ἀλλ' ἐπεὶ δλβίως*).

V. 569: *Θησεῦ, τὸ σὸν γενναῖον ἐν μικρῷ λόγῳ*

παρήκεν ὥστε βραχέ' ἐμοὶ δεῖσθαι φράσαι.

Hunc locum ita interpretari solent: *generositas tua brevi oratione concessit, ut paucis mihi verbis opus sit*. Sed *ἐμοὶ δεῖσθαι* offendit; rarius quidem *δεῖ μοι* invenitur junctum cum infinitivo, non item *δεῖται μοι*. Exemplo illo quidem petito ex Paus. 4. 29. (*ἔδεῖτο γὰρ οἱ πάντως γενέσθαι χρημάτων*), quem opinantur in hoc genere semel veteres scriptores imitatum esse, istud loquendi genus parum firmatur. Quare locus ille non depravatus non potest existimari, nisi vero statuere vis ab uno Sophocle verba illa ista ratione inter se conjuncta esse et semel esse conjuncta. Nam quod Reisigius statuit, *ἐμοὶ* dictum esse pro *ὑπὲρ ἐμοῦ* minime probari potest.

Mihi quidem simplicissima emendandi ratio haec videtur, ut una literula mutata scribatur *βραχέ' ἐμοῦ*. Sic oritur haec sententia: *generositas tua brevi oratione concessit, ut pauca de me dicere opus sit*. Nam verba dicendi et audiendi haud raro

cum genitivo junguntur, quod structurae genus fuerunt qui ita perperam explicarent, ut praepositionem *περί* omissam esse dicerent. Satis est haec exempla Sophoclea afferre: v. 307. (*κλίων σου δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς*), v. 355. (*ἄ τοῦδ' ἐχρήσθη σώματος*), v. 662. (*λέγειν τῆς σῆς ἀγωγῆς*) Trach. v. 928. (*φράζω τῆς τεχνωμένης τᾶδε*) v. 1122. (*τῆς μητρὸς ἧκω τῆς ἐμῆς φράσεων*) El. 317. (*τοῦ κασιγνήτου τί φῆς*) Phil. v. 441. (*ποίου δὲ τούτου . . . ἐρεῖς;*) Aj. v. 1236. (*ποίου κέκραγας ἀνδρὸς ὧδ' ὑπέφρονα;*). Quod quibusdam in *βραχέ' ἐμ.* hiatus visus est inesse in venustus et ab oratione Sophoclea alienus: jam ab Elmsleio commemorati sunt Ant. v. 677. (*ἀμυντέ' ἐστί*) Trach. v. 1206. (*δραστέ' ἐστίν*).

V. 575: *τοῦτ' αὐτὸ νῦν δίδασχ', ὅπως ἂν ἐκμάθω.*

Dubito, num hoc loco *ἂν* particula sententiae conveniat. Nam si hoc velis statuere, indicari rem, quae possit habere eventum vel habitura cogitetur, istud in hunc locum cadere negaverim. Recte mihi videor conjicere scribendum *πᾶν*, quod quidem sententiae aptissimum est. Nam Thesei, quippe qui, qua fingitur humanitate atque comitate, animo promptissimo ac libentissimo se peregrino adfuturum professus sit, illud quoque interesse consentaneum est, penitus ut perdiscat, quid Oedipus efflagitet. Quod idem poeta ut significaret, verbo composito *ἐκμανθάνειν* usus esse videtur. Ad notionem quae inest in illo verbo augendam *πᾶν* aptissimum est. Atque conjectura mea videtur commendari v. 290. (*τοῦ εἰσακούων πᾶντ' ἐπιστήσει*) et v. 889. (*λέξαι', ὡς εἶδῶ τὸ πᾶν*).

V. 588: *ΘΗΣ. πότερα τὰ τῶν σῶν ἐκγόνων ἢ 'μοῦ λέγεις;*
ΟΙΔ. κείνοι κομίζειν κείσ' ἀναγκάζουσί με.

Hoc quidem inter plerosque interpretes hodie convenit, quum *ἢ* a sententia alienum sit, Schneidewinianum illud *κάμου* recipiendum, neque operae mihi est errores eorum, qui in vulgata scriptura interpretanda elaboraverunt, convincere. Itemque critici recte de integritate verbi *ἐκγόνων* videntur dubitare. Nam quia illud nisi in filios transferri non potest, Oedipi responsum: *κείνοι κομίζειν κτέ.* discrepat cum iis quae poeta antea exposuit. Polynicem enim senex nondum didicit, ipsius gratiam ut captet, Argis relictis accessurum esse. Quare Hartungianum illud *ἐγγενῶν*, quod Nauckius et Meinekius amplexi sunt, proxime ad verum videtur accedere. Neque tamen hanc vocem velim intelligi *indigenas* i. e. *Thebanos*, quae quidem notio in Oed. T. v. 452. verbo illi subest. Neque enim solum verendum est, ne *τῶν σῶν ἐγγενῶν* minus recte dicatur, sed etiam ratio illa, qua Nauckius fieri non posse censet, quin Theseus hoc interroget, num *ἄγων ὅδε* certamen significet quod ipsi ineundum sit cum Thebanis, non satis idonea esse videtur.

Theseus enim quamquam de Oedipi cum filiis discordia nondum certior factus est, tamen hoc conjectura assequi potest, filios ac propinquos jus sepeliendi Oedipi ita non passuros sibi eripi, ut armis executuri sint. Adde quod versu demum 606. Theseus Thebanos spectans interrogat: *καὶ πῶς γένοιτ' ἂν τὰμὰ κἀκείνων πικρά*, unde colligitur illum hoc loco de Thebanorum bello tamquam de re aperta ac manifesta dicere non posse. Quare *ἐγγενεῖς* malim accipi *propinquos*. Eodem pertinet *κείνοι*, quod Oedipus imprimis spectans Creontem dicit, quippe quem Ismene nuntiaverit patris arcessendi causa brevi adventurum. Atque v. 591. *ἀλλ' οὐδ' ὄσ' αὐτῶς ἦθελον παρίεσαν*, et v. 765. sq. illud videtur comprobari. — In v. 589. verbum *ἀναγκάζουσι* corruptum esse videtur. Neque enim *κομίζειν* verbum neutrum esse recte dicitur, neque locus ita explicari potest: *κ. ἀναγκάζουσί με κείσε κομίζειν ἐμαντιόν*. Adde quod oratio ista ambigua Oedipo non convenit, quum illud agatur, ut Theseus

de rebus ejus ac de periculo ei instante accurate cognoscat. Atque quod Theseus v. 602. dicit: *πῶς δῆτά σ' ἄν πεμψαίαφ', ὥσ' οἰκεῖν δίχα*; ex hoc versu proficisci statuendum est, quum illud Oedipi positum sit in illis quae Ismene v. 396. sq. de Creontis consilio exposuit. Unde recte mihi videor colligere scriptum fuisse: *κεῖνοι κομίζεῖν κείσ', ἀναξ, ἧξοῦσί με*. Eisdem ob causas nec Kaysero, qui *χρηζουσι* conjecit, nec Engero, qui verbis justo audacius transpositis hoc confecit, *κεῖνοι κομ. ἀξιοῦσ' ἐκείσέ με*, nec Meinekio assentior, qui *ἐπαξιοῦσι* scripsit. Verbo *ἦκειν* et Ismene v. 397. usa est et Oedipus v. 653., 784. utitur. Atque Oedipus Theseum saepius, praesertim quum de re graviore dicturus est, vel nominatim vel *ἀνακτα* appellat, velut in v. 595., 607., 1130., 1173., 1505.

V. 603: *τὸ θεῖον αὐτοὺς ἐξαναγκάσει στόμα.*

Nauckio, Meinekio, aliis hoc loco tempus futurum probatur, quod quamquam plerique codices habent, tamen videndum est, ne a sententiae ratione alienum sit. Si oraculum illud exspectaretur, tempus futurum sententiae accommodatum esset; nunc vero Ismene v. 389. sq. patrem certiore fecit, Apollinem Thebanis de eo vaticinatum esse. Sequitur, ut Oedipum hoc dicere necesse sit, Thebanos *cogi*, non illud, eos coactum iri. Scribendum igitur est *ἐξαναγκάζει*.

V. 658: *πολλὰ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη
θυμῷ κατηπείλησαν....*

Hunc locum, cujus codices nihil variant nisi distinctionem, quo quidem in genere haud multum iis tribuendum est, ita solent interpretari: *Multae minae multa jam inania dicta minatae sunt per iram*, ut id quod jactatores faciant, eorum minis attribuantur. Sed quis probet minas dici minari atque adeo minari per iram? Quin locus ille corruptus sit, haud scio an nemo dubitet. Ac Schneidewinianum illud *πολλοὶ δὲ πολλοῖς*, ut ceterorum vel distinguendi vel emendandi rationes non percenseam, ex omnibus conjecturis maxime probatur. Sed propius ad similitudinem vulgatae scripturae accedit, quod mihi scribendum videtur, *πολλοὶ δ' ἀπειλαῖς*, ut sententia haec sit: *Multi cum minis vel minantes permulta inania verba per iram jactare solent*. Nam dativus apud scriptores graecos similiter atque apud Latinos praepositio *cum* haud raro significat res ea quae aguntur subsequentes. Huc spectant haec exempla HomERICA: *μολπή τ' ἰνυμῷ.. ἔποντο, Τρωῆς λαχῆ ἴσαν, σιωπῆ εἶατ' ἀκούοντες*, Herodoteum (6. 139.) *ἔπεαν βορέη ἀνέμῳ νηῖς ἐξανύση..*

V. 753: *ἄρ' ἄθλιον τῶννειδος, ὦ τάλας ἐγώ,
ἀνείδισ' εἰς σέ καμὲ καὶ τὸ πᾶν γένος;
ἀλλ' οὐ γὰρ ἔσσι τὰμφανῆ κρύπτειν, σύ νυν
πρὸς θεῶν πατρώων, Οἰδίπους, πεισθεῖς ἐμοὶ
κρύψον, θελήσας ἄστυ καὶ δόμονος μολεῖν..*

Plerique interpretes censent Creontem simulantem se invitum miseriam commemorasse exsulum, priusquam Oedipum hoc moneat, ut sibi obtemperans ipse illam occulat i. e. se removeat ab externorum conspectu, ut sermonis liberioris excusationem afferat, verba *οὐ γὰρ ἔσσι τὰμφανῆ κρύπτειν* interponere. At quis sibi persuadeat verba illa *post ἀλλά* interposita ad proximos versus referenda atque animi aperti excusandi causa a Creonte dicta esse, praesertim quum verba *ὦ τάλας ἐγώ* excusationem illam habeant. Quodsi hoc velis statuere verba *οὐ γὰρ ἔσσι..* a Creonte interponi, ut id quod Oedipum moniturus sit ratione confirmet, vide ne illa minus recte dicantur. An vero quisquam recte jubetur facere, quod omnino fieri

posse negetur? Tametsi Meinekius negat v. 755. quidquam suspicionis habere, si modo *νν* in *νν* mutetur, in hanc partem locum interpretans: 'Quamdiu dedecora tua in publica luce versantur, occultare ea non licet, quare redi in paternam domum, ut in obscuro delitescant'. At et *ἀμφρανῆ* male acceptum et istam sententiam a mente poetae alienam esse apparet. Nec *εἰ γὰρ* vel *εἴπερ*, quod Martinus pro *οὐ γὰρ* scribi voluit, difficultatem expedit. Nam *εἰ γὰρ ἔσσι*.. nihil esset aliud nisi hoc: *si fieri potest*, ut manifesta dedecora celentur i. e. *si tibi licet* externorum aspectui te subducere, mihi obsecutus domum proficiscere. At qua tandem re putas a Creonte sumi Oedipum impediri, ne in patriam redeat? Ille hoc quidem agit, ut exsulem blando simulationis artificio adducat, ut sibi obtemperet, at paratus est ad vim adhibendam, si ille recuset. Mihi quidem nihil videtur relinqui nisi ut scribatur: *ἀλλ' ὡς γὰρ ἔσσι*..: *at* — *sic enim* fieri potest, ut manifesta dedecora occultantur, cet.

V. 813: *μαρτύρομαι τοῖσδ', οὐ σέ, πρὸς δὲ τοὺς φίλους
οἳ ἀνταμείβει ῥήματ', ἣν σ' ἔλω ποτέ* —

Creon injuriae, quam sibi simulat illatam, teste ipso Oedipo uti non potest. An putas fieri posse, ut quisquam etiam reum contestetur? Quare dubium non est, quin *οὐ σέ* corrigendum sit. Sed ut Dindorfii, Meinekii ceterorum vel emendationes audaciores vel explicationes tortuosiores praetermittam, *οὐς σὺ πρόσθε*, quod Halmius proposuit, a sententiarum ordine alienum est. Nam Oedipus senes non contestatus est, sed eorum nomine v. 811. sq. Creontem jussit abscedere. Nec Hartungio, qui *οὐς σὺ προὔστησω φίλους* coniecit, assentior. Notio enim quam ille hoc loco verbo *προὔστησω* subjicit, ab usu Sophocleo aliena est, nec verbis *πρὸ πάνδε*, quae Oedipus antea dixit, adjuvatur. Nec qui volunt ad *μαρτύρομαι* cogitatione addi: *quam insolenter a te tracter atque rejiciat* et quae sequuntur verba ita fere vertunt: *Illorum autem, quae praesentibus amicis respondes, quum te quando cepero, poenas expendes*, veram sententiam assecuti sunt. Nam satis multa profecto relinquunt choro conjectura divinandam. Nec si ista statuas, quum quae ad *μαρτύρομαι* volunt suppleri re non differant ab *οἳ ἀνταμείβει ῥήματα*, sententiae recte procedunt. Accedit quod particula *δέ* sententiae isti non convenit et quod pronomen *οἷα* isti explicationi adversatur. Quare sine dubio jungas necesse est: *μαρτύρομαι*.. *οἷα* i. e. *ὅτι τὰ ἀνταμ. ῥήμ.* Tum conjicio pro *τοῖσδ', οὐ σέ* scribendum *θεοῖς τοῖσδε* et post *ῥήματ'* graviore nota distinguendum. Nam quum Creon v. 756., ut id quod subdole spectat, occultet, *θεοῖς παρῶν* testetur, poetam hoc loco deos Coloneos testes fecisse ab eo invocari probabile est. Ac *τοὺς φίλους* cum acerbitate quadam censeo dictum, ut in v. 992. *τὸν δίκαιον*. Hanc igitur sententiam statuo: *Testor hosce deos atque (insuper) istos tuos amicos, quod talibus respondes verbis; ubi te quando cepero* —. Minime hoc mirum, Creontem dicentem ab Oedipo interpellari, quia senis animus, quum ille primum se exsuli vim allaturum significet, non graviter commoveri non potest.

V. 861. *Χόρ.*: *δεινὸν λέγεις.*

Κρ.: *ὡς τοῦτο νῦν πεπράξεται.*

Hanc scripturam plerique interpretes amplectuntur. Sed *ὡς* in uno ex codicibus Paris. legitur, ubi ex conjectura Triclinii additum est, in ceteris deest. Vocem monosyllabam intercidisse apparet. *Τοῦτ' αὐτό*, quod Schneidewinus pro *ὡς τοῦτο* scribi voluit, rejiciendum est, quum *αὐτό* sententiae repugnet. Nauckianae scripturae: *δεινὸν (δεινοὶ) λόγοι σου* non favet illud, quod Creon respondet. Equidem malim

scribi *δεινὸν λέγεις τι τοῦτο* . . . Nam licet conjicere *τι* ante *τοῦτο* a librario omissum esse, quum utraque vox ab eadem litera incipiat.

V. 911: *ἐπεὶ δέδρακας οὐτ' ἐμοῦ καταξίως
οὐδ' ὧν πέφυκας αὐτὸς οὔτε σῆς χθονός.*

Nauckius pro *οὐτ' ἐμοῦ*, quam scripturam codices habent, quia Theseus inepte postulet, ut Creon ipso dignum se praebeat et quia ex sequentibus verbis *οὐδ' ὧν . . . χθονός* appareat etiam primum ex tribus illis membris ad Creontem referendum esse, vult scriptum *οὔτε σοῦ*, quod quidem Meinekius sine dubitatione recepit. At ex ceteris quae Theseus dicit satis opinor intelligitur ab eo illam orationem tripartitam uberius explicari. Ac primum ille exponit a Creonte urbis et leges et opes et libertatem contemta esse. Nimirum ea re ipsum regem pungi necesse est. Itaque Theseus v. 918. dicit *καὶ ἴσον τῷ μηδενὶ (ἔδοξας εἶναι)*. Atque v. 926. sq. explanat ipsum a Creonte nullo numero putari, qui ipsius auctoritate neglecta sua sponte coeptum effecerit. Quare non est, quod de integritate lectionis *οὐτ' ἐμοῦ* dubitemus. Recte autem Nauckius *αὐτὸς* corruptum esse censet. Nam nequidquam quaesieris, cui *αὐτὸς* opponatur. Nec *ὧν πέφυκας* intelligi potest *τῶν σῶν προγόνων*; non enim Theseus de majoribus infra loquitur. Quodsi vir ille doctissimus *νείος* pro *αὐτὸς* scribendum putat: illam notionem praeter necessitatem verbis *ὧν πέφ.* adjicit. Atque ex iis quae supra dixi, efficitur a Theseo Creontis parentum mentionem non esse factam. Meinekius autem video scripsisse *ἄστος*, quod ipse quoque superiore tempore conjectura assecutus sum. Sed dubito an poeta, si quod ille vertit: 'quorum tu civis natus es' voluisset exprimere, non *ὧν πέφυκας ἄστος* scripsisset. Nunc arbitror scribendum *οὐδ' οὐ πέφ. ἄστος*: *neque urbe, unde oriundus es, neque terra quae te tulit dignum te praebuisti*, quae conjectura ordine sententiarum confirmatur. Nam v. 919 sq. et 929 sq. Theseus exponit Thebas Creontis facinore immerita affici ignominia, quippe quae justos homines ferre consueverint. — Restat ut dicendum esse videatur Thesei orationis inde a versu 919. sententiarum ordinem a librariis esse turbatum. Nam Theseus primum exponit Athenas cum ipso rege a Creonte nullo numero putari (v. 913—918.), tum Creontem patria indignum se praebuisse (v. 919—923.), deinde Atheniensium regis auctoritatem ab illo neglectam esse (v. 924—928.), post ab illo patriam immerita macula affici (v. 929 sq.), postremo idem quod v. 909 sq. imperavit severissime edicit. Istam orationem minus recte procedere apparet. Atqui non licet hoc dicere, illam sententiarum ordinis perturbationem a poeta studio quaesitam esse; non enim poeta Theseum cupide aut iracunde agentem sed ea dictorum factorumque omnium moderatione facit utentem, quae digna sit rege atque imperio legibus temperato. Quare versus ita transponendos censeo, ut v. 913—918. excipiantur versibus 924—928., tum v. 929—931., deinde v. 919—923., postremo sequantur v. 923., cet.

V. 1019: *ὁδοῦ κατάρχειν τῆς ἐκεῖ, πομπὸν δέ με
χωρεῖν, ἴν', εἰ μὲν ἐν τόποισι τοῖσδ' ἔχεις
τὰς παῖδας ἡμῶν, αὐτὸς ἐκδείξῃς ἐμοί.*

Scriptura *ἡμῶν*, quamquam auctoritate codicum defenditur, omnibus fere nostrae memoriae interpretibus improbat. Non enim illud statui potest, quod quibusdam visum est, Theseum isto pronomine indicare se Oedipi filias haud secus defensurum esse a Creontis injuria, ac si suae sint filiae. Nam est istud mollioris sensus quam pro dignitate ac gravitate illa, quacum rex agit. Ac ne illi quidem laudari possunt, qui *ἡμῶν cum τόποισι* conjungendum opinati sunt; nam istud

structurae genus ipsa pronomini sedes dissuadet. Quare dubitari non potest, quin emendatione opus sit. Sed quas cognovi conjecturas, videntur esse rejiciendae. Atque Elmsleianum ἡμῶν, quod Meinekius probavit, a sententia abhorre patet. Longius a mente poetae aberravit Hermannianum εἰλῶν. Virgines illas a Creonte vexari atque agitari! Poeta Creontem non fingit tanta immanitate ac crudelitate. Dindorfius autem quum constituit τὰς τοῦδε παῖδας, codicum auctoritatem neglexit. Ac Schneidewinus, quamquam in v. 1019. ὁδοῦ κατάρχειν legitur, scribi voluit τῷ παῖδ' ὁδηγῶν. At friget ista ejusdem notio iteratio. Item Nauckianum ἤκων inane est. Scilicet Creontem, nisi ad illum locum de quo quaeritur venerit, monstrare non posse, ubi virgines sint per se intelligitur. Mihi quidem ex eo, quod Theseus ἵνα ἐκδείξῃς dicit, probabiliter confici posse videtur poetam non si virgines aliquo loco illius regionis tenes sed si virgines abditas tenes scripsisse. Quare conjicio scribendum τῷ παῖδ' ἀσήμεον', ut προληπτικῶς hoc dicatur, si virgines aliquo loco tenes, ut oculis cerni non possint. Vox ἀσήμεων etiam in v. 1668 legitur. Atque scriptores Atticos cum nominibus femininis dualis numeri et articulum et pronomina et adjectiva in masculinas formas cadentia conjungere inter omnes constat.

V. 1075: ἐρδουσ' ἢ μέλλουσιν; ὡς
 προμνᾶται τί μοι
 γνώμα τάχ' ἂν δώσειν
 τᾶν δεινὰ τλάσαν, δεινὰ δ' εὔρουσαν πρὸς ἀνθάιμων πάθη.

Quum chorus v. 1055. utramque filiam commemoraverit, hoc loco unius mentionem factam esse probabile non est. Unde efficitur lectiones vulgatas τάχ' ἂν δώσειν et τᾶν . . τλάσαν . . εὔρουσαν rejiciendas esse, praesertim quum scholiastes ἐνδύσειν habeat et τᾶν τλασᾶν — εὔρουσᾶν legi posse moneat. Nam Reisigio, qui quamquam genitivos amplectitur, tamen τάχ' ἂν δώσειν, quod vult intelligi 'mox eas redditum iri', ita retineri posse opinatur, ut genitivi cum προμνᾶται jungantur, haud scio an nemo suffragetur. Neque vero sententia Elmslei, quocum Meinekius facit, admitti potest. Ille enim genitivis receptis ac scholiastae lectione τάχ' ἐνδύσειν probata πάθη ἐνδύσειν, quae vult jungi, interpretatur: 'mala remissura esse'; sed δεινὰ εὔρουσᾶν . . πάθη apta inter se et connexa esse nemo non videt. Halmius autem, qui pro ἂν δώσειν ratus quaerendum nomen, unde genitivi pendeant, εὔσοιαν proposuit, a vero aberravit; nam durissimum istud dicendi genus: προμνᾶται τί μοι γνώμα τάχ' εὔσοιαν τᾶν κτέ. recte mihi videor negare Sophocleum esse. Ac Nauckius similem emendandi rationem secutus proponit τύχαν λώω; nec vero solum *u* isti conjecturae adversatur, sed etiam notio ista universa rei conditioni quam chorus spectat, parum accommodata est. Mihi quidem verbum videtur quaerendum, unde genitivi pendeant. Atque aliquando suspicabar scribendum δίκαν δώσειν τᾶν κτέ. Sed nescio an probabilius sit, quod mihi nunc in mentem venit: τάχ' ἂν χωρεῖν τᾶν κτέ.: praesentit animus aliquid, (Creontem cum administris) fortasse (nunc) recedere a virginibus foeda perpessis, foeda a propinquis expertis (nec jam nostrorum impetum sustinere). Τάχ' ἂν per se intelligi posse, non est quod moneam.

V. 1081: εἶθ' ἀελλαιὰ ταχύρωστος πελειᾶς
 αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμι τῶνδ' ἀγώνων
 θεωρήσασα τοῦμὸν ὄμμα.

Quum neque θεωρεῖν cum genitivo jungi possit neque quid ὄμμα sibi velit intelligatur, dubium non est, quin vulgata scriptura mendo sit affecta. Sed fuerunt, qui lectionem θεωρήσασα ἀμφοτέρωθεν ὄμμα 'spectaculum' intelligi et τοῦμὸν mutari in ἀποσμον vellent, ut sententia esset: 'contemplans invenustum proelii spectaculum'.

At istud ἀκοσμον a magna certaminis illius admiratione studioque discrepat, quae ceteris carminis partibus significantur. Alii quum et ipsi vitium in τοῦμόν inesse putarent, male conjecerunt scribendum εἰτοιμον (paratum) vel ἄπουρον (longinquum). Sed utique θεωρήσασα depravatum est, id quod Hartungio quoque et Nauckio visum est. E quibus ille θεᾶ πλῆσασα proposuit, hic audacius θεᾶ τέρψασα scripsit. Sed activo συμπλάναι cum ὄμμα juncto vehementer dubito num ista notio subsit, quam ille subjicit. Nauckianum illud quidem sententiae convenit, sed a vulgata scriptura nimis discrepat. Meinekius autem pro vulgata lectione κύρσαιμι αὐτῶνδ' recepta Wunderi conjectura κύρσαιμι τῶνδ' artificiosius quam probabilius scripsit: αὐθέρτα κ' νεφέλας κ. τ. α. ἐρωήσασα τοῦμόν οἶμα. Nam, ut non dicam istud ἄ offendere et οἶμα maxime in incursionem vel impetum bestiarum rapacium transferri, illud desideratur, in quo summa sententiae vertitur. Videlicet chorus in columbam se mutari cupit, ut desuper pugnam possit spectare, quod quidem vir ille doctissimus ex verbis κύρσαιμι τῶνδ' ἀγῶνων nescio quo modo vult extorqueri, quum hoc vertat: 'Utinam aetheria columba ex nubibus testis fiam hujus certaminis'. Equidem ad similitudinem Hom. II. 20. 77. sq. (τοῦ γὰρ ῥα μάλιστα ἐ θυμὸς ἀνώγει αἵματος ἄσαι Ἄρηα) velim scribi θεᾶς ἄσασα.

V. 1097: . . τὰς κόρας γὰρ εἰσορῶ
ταῖσδ' ἄσσον αὐθις ὧδε προσπολουμένας.

Vulgaris lectio προσπολουμένας quum neque a προσπολέω (servire, ministeria facere) possit derivari, neque, quantum scio, illud verbum idem valere atque προσερχομένας exemplis firmetur, offensionem habet. Ac προσπελωμένας, quod Hartungius conjecit, ab hoc loco alienissimum est; nam προσπελάω s.—ἀζω (admoveo) intransitive usurpatum constat significare appropinquo, non item προσπελώμαι s.—ἀζομαι. — Non sine causa poeta virgines eodem puncto temporis, quo a choro conspectae sunt, in scenam videtur facere prodeuntes. Hoc secutus esse videtur, ut illas venire maturasse cogitaretur. Quare recte mihi videor verbum desiderare, cui notio adventandi, advolandi subsit. Tale quidem verbum quum ad singularem filiarum erga patrem amorem atque ardens patris videndi desiderium significandum, tum ad laetitiam qua sorores praeter expectationem ex inimicorum manibus ereptas necesse est cumulari indicandam aptissimum est. Hinc conjicio προσποτωμένας, quod quidem dubito an eodem jure atque Bergkianum προσπολωμένας ex verbo Homericο πωλεῖσθαι novatum scribatur, sententiae magis quam illud conveniat.

V. 1112: ἐρείσας, ὦ παῖ, πλευρὸν ἀμφιδέξιον
ἐμφύντε τῷ φύσανι, κάναπαύσατον
τοῦ πρόσθ' ἐρήμου τοῦδε δυστήνον πλάνον.

Interpretes paucorum codicum lectionem κάναπαύσατον amplecti solent, quod quidem verbum hoc loco pro medio usurpatum esse minus recte dici videtur; nam paucis illis qui afferri solent locis, ubi imperativo praesentis παῖε notio intransitiva subjecta est, ista explicatio parum videtur fulciri. Atque quominus πλάνος virginum raptarum intelligatur, pronomen τοῦδε officit. Neque enim ad locum neque ad tempus pronomen illud referri potest, quum nec res quae prope sit indicetur et filiae patri restitutae jam pridem desierint vagari. Neque probabile est Oedipum postulare, ut filiae ipsum fulciant operamque ipsi navent eundemque illas monere ut requiescant. Adde quod, quum proximi versus in Oedipi condicionem cadant, eandem hoc loco significari verisimile est. Hinc efficitur πλάνον Oedipi a filiis deserti intelligendum esse. Quod si est, nescio an recte conjiciam pro κάνα — scribendum καμέ, quum quominus τόνδε δυστήνον pro τοῦδε δ. ponatur, verborum ordo

obstare videatur. Atque illud varietati obesse videtur, quod quatuor continui versus tres imperativos habent. Quare nescio an ad similitudinem v. 1410. sq. (*ἐν τάφοισι θέσθαι κἀν κτερίσμασι καὶ σφῶν ὁ νῦν ἔπαινος. . ἐπ' ἄλλον οὔσει*) recte tempus futurum, quod plurimi codices praebent, revocem atque scribam *παύσετον*. Sententia igitur haec est: *Applicamini utrumque ad latus et me liberabitis miserrima solitudine qua ante (quam venistis) premebar.*

V. 1115: *καίμοι τὰ πραχθέντ' εἶπαθ' ὡς βράχιστ', ἐπεὶ
ταῖς τηλικαῖσδε σμικρὸς ἐξαρκεῖ λόγος.*

Hunc locum ita interpretantur: Res actas quam brevissime mihi narrate, quum virginibus tenellis brevis oratio sufficiat i. e. quum adolescentia excuset exilitatem loquendi. Sed videndum est, ne ista sententia sit improbanda. Neque enim poeta certamen illud describere nolens istam excusationem afferre potest, quum ceteris traegodiae locis Antigonem brevi atque exili sermonis genere non faciat utentem. Accedit quod ista excusatio non est necessaria, quum poeta Antigonem omnino non faciat certamen narrantem. Quod si ab ea breviter narrari esset facturus, ista excusatio ad rem accommodata esset. Nec vero ratio illius sententiae probari potest; nam Oedipum apertum est non *εἶπ. ὡς βράχ. ἐπεὶ ταῖς τ. κτέ.*, sed debuisse hoc dicere: *Age narrate mihi res actas, quas etiamsi breviter narrabitis, tamen contentus ero, quum talibus virgunculis brevis oratio conveniat.* Quare Nauckianum *τοῖς τηλικαῖσδε* laudo ac comprobo. Quamquam hoc quidem mihi cum illo non convenit, pronomen illud ad Oedipum referendum esse. Quid est enim, cur Oedipus sibi brevem certaminis narrationem sufficere dicat? An illum senectute vel calamitate vel caecitate vel alia re uberiolem rerum actarum narrationem ne audiat putas impediri? Quid? Oedipus si istud praesente Theseo diceret, nonne praeclarum illud regis factum elevaret? Quare mihi quidem persuasum est *τοῖς τηλικαῖσδε* ad *Theseum* esse referendum, ut haec existat sententia: *Talibus viris (qualis Theseus est), brevis oratio sufficit.* Viri enim animi magnitudine praestantes nolunt res a se gestas uberioribus laudibus efferri. Poeta igitur hoc loco illud significat, quod versu 1143. sq., ubi rex in eandem sententiam loquitur, Thesei esse fingit proprium.

V. 1117: *ὄδ' ἔσθ' ὁ σφάσας· τοῦδε χεῖ κλίειν, πάτερ,
καὶ σοὶ τε τοῦργον τοῦμόν ἔσται βραχύ.*

Quam dedi v. 1118. scripturam, eam codices habent, nisi quod in nonnullis deterioribus *γε* pro *τε* et versus explendi causa *ὄδ'* ante *ἔσται* et *δή* post id scriptum est. Omitto explicationes illorum, qui artificio quodam ex illa scriptura probabilem sententiam extorquere nequidquam conati sunt. Nam emendatione opus esse apparet. Atque in Hermanni scriptura, quae Schneidewino probabatur: *καὶ σοὶ τε τοῦργον τοῦτ' ἐμοί τ' ἔσται βραχύ* maxime displicet istud *σοὶ τοῦργον ἔσται βραχύ*, in Arndtii emendatione: *καὶ σοὶ τόδ' ἔργον τοῦμόν ἦνυσται βραχύ* offendit *βραχύ*. Engerus autem hunc versum constituit: *κεῖσει σὺ τοῦργον, τοῦτ' ἐμόν δ' ἔσται βραχύ*. At in *κεῖσει* nihil exquisiti inest ad sententiam. Nimirum Oedipus narrationi Thesei aures praebens res gestas comperit. *Κεῖσει* addi non est necesse. Praeterea *τοῦτ' ἐμόν* offensionem habet. Meinekius autem sine dubitatione Spengelii emendationem: *καὶ σοὶ γε τοῦργον τοῦμόν εἴρηται βραχύ* recepit, quamquam in ea et *γε* sententiae adversatur nec quid *τοῦργον τοῦμόν εἴρηται βραχύ* sibi velit liquet. Nauckius, quem Wexius acutius quam verius confecit versum: *οὗ κᾶσαι τοῦργον· τοῦμόν ὄδ' ἔσται βραχύ*, immerito ad sententiam satis idoneum existimavit, quem ascisceret. Nam ut non dicam codicum scripturae conjecturam *οὗ κᾶσαι* dissimilem esse, istud *οὗ κᾶσαι τοῦργον* iterat, quod verbis *ὄδ' ἔστ' ὁ σφάσας* expressum est. Mihi quidem a

librario socorde ipsius poetae verba transposita videntur, quare hunc ordinem censeo restituendum: *τοῦδε καὶ κλύειν, πάτερ | χρὴ σοὶ γε τοῦργον τοῦτ'· ἐμόν δ' ἔσται βραχύ*: hic est, qui nos liberavit: ex hoc ipso te decet audire rem gestam; meum autem officium breve erit. Nam ommissa distinctione *τοῦτ' ἐμόν* facile poterat mutari in *τοῦμόν*. Quod autem *ἔργον*, quod ad *τοῦτ' ἐμόν* supplendum est, aliter atque alterum *ἔργον* accipitur, figura est notissima, quam *πλοκὴν* vel *ἀντιμετάθεσιν* dicunt, qua et poetas et scriptores haud raro usos esse constat.

V. 1132: *καίτοι τί φωνῶ; πῶς σ' ἂν ἄθλιος γεγῶς
θιγείν θελήσαιμ' ἀνδρός. ὃ τίς οὐκ ἐνι
κηλῖς κακῶν ξύνοικος; οὐκ ἔγωγέ σε,
οὐδ' οὖν ἐάσω· τοῖς γὰρ ἐμπείροις βροτιῶν
μόνοις οἷόν τε συνταλαιπωρεῖν τάδε.*

Nauckius, quum neque ad *ἐμπείροις* ex versu sequente *τῶνδε* suppleri neque Theseus omnium rerum inscius ac rudis dici possit, genitivum rei ad quam *ἐμπείροις* referendum sit non requiri non posse ratus pro *βροτιῶν* scribendum conjicit *κακῶν*. At quum ipsa iteratio vocis in proximo versu usurpatae offendit, tum istud *κακῶν* ne sententiae quidem congruit. Non enim Theseus, quippe qui v. 562. sq. se in terris externis conflictatum malis esse confiteatur, malorum ignarus dici potest. At qui Oedipus antea dixit *ὃ τίς οὐκ ἐνι κηλῖς κακῶν* paternorum et maternorum *malorum labem* indicans, quam quidem *κακῶν* in universum dictum non significat. Quodsi *κακῶν* ad *ἐμπείροις* additur, ad *κακῶν* suppleri necesse est *τῆσδε κηλίδος*. Atque quum ipsum *τάδε* ad *κηλῖς κακῶν* referendum sit, ne licuit quidem poetae genitivum idem significantem ad *ἐμπείροις* addere. Nihil igitur relinquatur nisi ut genitivum *βροτιῶν* teneamus, praesertim qui a poeta haud raro simili ratione usurpatur. Nam ut ceteras tragoedias omittam, in extremis versibus 1123., 1129., 279., 281. legitur, et v. 1126. similiter dictum est *μόνοις ἀνθρώπων*. Nec magis videtur offensioni esse, quod ad *ἐμπείροις* e proximo versu genitivus supplendus est, quam si apud Latinos poetas adjectiva *memor immemor*, *gnarus ignarus*, id genus alia ita usurpantur, ut res ad quam referantur cogitatione supplenda sit.

V. 1189: *ἔφυσας αὐτόν· ὥστε μηδὲ δρωῖνά σε
τὰ τῶν κακίστων κάσσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις σέ γ' εἶναι κείνον ἀντιδρᾶν κακῶς·
ἀλλ' ἔασον· εἰσὶ χυτέρους γοναὶ κακαὶ
καὶ θυμὸς ὀξύς, . . .*

Quas codices variant scripturas *ἀλλ' αὐτόν* vel *ἀλλ' αὐτόν* fuisse constat qui in *ἀλλ' ἔα ὕτον* aut in *ἀλλ' ἠτόν* aut in *ἀλλ' ἔαντον* (i. e. *ἀλλ' ἔα αὐτόν*) vellent mutari; neque tamen durius istud crasis genus exemplis confirmari potest. Atque verbum *ἔαν*, sive illud scribitur, sive quod Wundero visum est *ἀλλ' ἔα νιν*, sive *ἔασον*, quod nescio a quo profectum a Nauckio, Meinekio aliis receptum est, ad sententiam parum aptum mihi videtur. Nam quid sibi velit istud *ἔα* vel *ἔασον*, minus apertum est ad intelligendum. An putas ex v. illo remotiore (1184.), ubi Antigone id quod a patre cupit impetrare proposuit, facile posse suppleri *τὸν κασίγνητον μόλειν*? Atque dubito num poeta Antigonem incisa serie rationum, quibus patris animum commovere studet, illud fecerit interponentem, quod a patre petit, quippe quod supra propositum sit et gravissimis rationibus expositis in extrema oratione repetur (in v. 1201.: *ἀλλ' ἦμιν εἶπε*). Eandem ob causam neque *εἶξον* Musgravianum, quod ex v. 1184. vel 1201. petitum est, nec quod a Meinekio conjectum est *ἀλλ'*

αἴσον admitti potest. Atque quod hic istud aptissime inferri censet iis quae Antigone v. 1187. dixerit (*λόγων δ' ἀκούσαι τίς βλάβη*): virum doctissimum fugit v. 1179. sq. alteram rationem allatam esse. Equidem scribendum censeo *ἄρ' οὐ σός*; ut ratio illius quae proximis versibus exposita est (1189. sq.: *ἔφρσας αὐτόν κτέ.*) similis afferatur. Atque comparari potest v. 1323: *ἐγὼ δὲ σός, καὶ μὴ σός κτέ.*

V. 1229 sq.

Stasimo tertio senes ad Oedipi molestias atque suae vitae incommoda spectantes labores et miserias hominum conqueruntur, quae quidem eo magis ingravescant, quo quis longius aetate provector sit. Quare summae dementiae esse longioris vitae desiderio teneri; non nasci longe optimum esse, proximum autem, si natus sis, quam primum mori. Tum haec dicunt:

*ὡς εὔτ' ἂν τὸ νέον παρῆ
κούφας ἀφροσύνας φέρον
ἰς πλάγχθῃ πολύμοχθος ἔ-
ξω, ἰς οὐ καμάτων ἐνι;*

Qui statuerunt *παρῆ* a *παρίημι* ducendum atque *ις* supplendum esse, perversam loci illius paene desperati interpretandi rationem inivisse videntur. Illud enim quominus statuatur, sententiarum ordo officit. Nam ex iis quae versibus proximis dicta sunt: *τὸ δ' ἐπεὶ φανῆ, βῆναι κείθεν ὄθεν περ ἦκει, ὡς τάχιστα*, chorum apparet hoc quoque significare, hominem haud ita multo postquam in vitam venerit malis urgeri, ac ne adolescentiam quidem malis vacare. Quod quoniam versibus 1229. sq. id quod antea dictum est rationibus confirmatur, fieri non potest quin chorus iis adolescentiam significet. Accedit quod ex ipsis versuum illorum sententiis de adolescentia dici apparet. Haec enim aetas vehementioribus animi motibus facile rapitur ad facinora illa insana, quae chorus commemorat, caedes, discidia, discordias, certamina, odia. In eandem sententiam dixit Simonides: *θνητῶν δ' ὄφρα ις ἀνδρος ἔχη πολήρατον ἡβης κοῦφος ἔχων θυμὸν πόλλ' ἀτέλεστα νοεῖ*. Quid vero? nonne apertum est chorum ad Oedipum ejusque filios spectare? Nam ille adolescens parricidio se obstrinxerat, ad hos paene omnia illa mala pertinent. Atque quod ad *τὸ νέον* additum est *κούφας ἀφροσύνας φέρον*, ab hoc loco plane alienum esset, si chorus non de malis adolescentiae, sed de grandis aetatis malis diceret. Quare isti, qui *παρῆ* a *παρίημι* volunt duci, verba *κούφας ἀφροσύνας φέρον* corrupta existimant. *Τὸ νέον* autem illa aetas intelligenda est, ubi vires accrescunt, cui v. 1235. sq. *γῆρας* i. e. illa aetas opponitur, ubi vires extenuantur ac consenescent, quae aetatis descriptio apud Ciceronem quoque (de sen. 2. §. 4.) invenitur. Ex iis quae dixi efficitur falli illos, qui quum *παρῆ* non a *πάριμι* sed a *παρίημι* duci et *εὔτ' ἂν τὸ νέον παρῆ* intelligi velint *εὔτ' ἂν τὸ νέον ις παραμείρηται*, hoc statuunt, chorum omissa adolescentia spectare constantem aetatem.

Quodsi illud statuitur, nihil est quo verba *ις . . ἔξω, ἰς οὐ — ἐνι* referantur. Nam quod Nauckius interpretatur: Quum quis ex adolescentibus excessit, quae miseria abest, quae mala non insunt: jure mihi videor quaerere, quorsum *ἔξω* et *ἐνι* spectent. Sin statuis chorum de adolescentiae malis dicere, nihil obest, quominus *ἔξω* et *ἐνι* ad illam aetatem referantur. Nec vero controversia est, quin verba *ἰς πλάγχθῃ πολύμοχθος ἔξω* vitio affecta sint, quippe e quibus nullo interpretationis artificio certa sententia elici possit. Neque enim illi qui scholiastæ secuti explanationem: *ἰς ἔξω τοῦ πολύμοχθος εἶναι ἐπλανήθη*, interpretati sunt: 'Quisnam, cum utpote homo natus sit aerumnis, liber est ab aerumnis?' neque illi, qui *ἔξω* ad *καμάτων* referendum censuerunt, neque illi, qui *πολύμοχθος ἔξω* dictum esse pro *ἔξω μόχθων* statuerunt, probari possunt; nam istae artes interpretandi linguae rationi

repugnant. Ac ne illud quidem recte statuitur, ad ἔξω supplendum τῶν ἀφροσυνῶν; non enim dici potest quemquam a stultitia aberrare, quippe quam nemo non prudens evitare studeat. Bothius autem secutus Hermannum κάμαιον aberrare dici a juventute, non hominem a καμάιους statuens est interpretatus: 'Quis molestus labor aberrare solet a juventute, quis non inesse'? At et πολύμοχος perperam acceptum est, nec labor recte dicitur a juventute aberrare. Nec Schneidewinus, qui locum illum in eandem sententiam intellexit, quum ποτὲ μόχος pro πολύμοχος conjecit scribendum, difficultatem expedivit. Nihil igitur videtur relinqui, nisi ut pro πλάγχθη nomen substantivum reponatur, praesertim quum orationem versus alterius ad similitudinem alterius accessisse verisimile sit. Ac Bothius quidem τίς πλαγκτήρ conjecit. At quis tandem intelligendus est iste perturbator? Nec μόχος πολύπλαγκτος, ex quo Nauckius suspicatur errore librarii πλάγχθη πολύμοχος ortum, probari potest; nam dubitari potest, num poeta miseriam universam dixerit multum circumerantem vel multum circumvagatam. Ac dissimilis est ratio illius adjectivi in Aesch. Suppl. v. 567. (πολύπλαγκτον ἀθλίαν οἰσιροδόνητον Ἰώ). Equidem malim scribi πλάνα atque locum ita explicari: Nam quum adolescentia adest stultitias leves ferens, quis error multarum miseriarum efficiens abest (ab adolescentia), quae molestia non inest? Mendum inde videtur ortum, quod ἔξω male acceptum et adjectivo πολύμοχος notio passiva subjecta est.

V. 1265. sq.

Polynices conquestus squalidam patris vitam miserumque ejus victum se fatetur alendi patris officio impie defuisse, quum haec dicit:

καὶ μαρτυρῶ κάκιστος ἀνθρώπων τροφαῖς
ταῖς σαῖσιν ἦκειν· τὰμὰ μὴ ἔξ ἄλλων τύθη.

Scriptura vulgata τἄλλα quin recte a Reiskio in τὰμὰ mutata sit, nescio an non possit dubitari. Sed τροφαῖς ταῖς σαῖσιν suspicioni est. Nam quod interpretes illum dativum cum κάκιστος jungi et intelligi volunt: a nutritione, quippe quum Polynices alendi patris officium neglexerit: verendum est ne ista explicatio argutior quam ad linguae rationem accommodatior sit. Quare scribendum censeo τροφοῖς τοῖς σοῖσιν, ut sententiae haec sit: Testor eorum qui nunc tibi victum praebent iudicio unum omnium pessimum me venire, ne quae ad me pertinent ex aliis audias. Namque dativo etiam illum significari constat, ad cuius iudicium sententia aliqua referenda sit, ut rata fiat, velut in v. 1446. (ἀνάξια γὰρ πᾶσιν ἐστε θύσινχεῖν), in Ant. v. 904. (καίτοι σ' ἐγὼ εἰρήσα τοῖς φρονοῦσιν εὔ) v. 657. (ψευδῆ γ' ἔμειν- τὸν οὐ καταστήσω πόλει) in Ai. v. 1282. (ἄρ' ἔμιν οὕτος ταῦτ' ἔδρασεν ἔνδικα).

V. 1333: πρὸς νῖν σε κρηνῶν καὶ θεῶν ὁμογνίων,
αὐτῶ πιθέσθαι καὶ παρειαθεῖν..

Quod Polynices patrem per fontes obsecrat atque obtestatur, mirum est, praesertim quum non liqueat, cuius terrae fontes dicantur. Non enim ὁμογνίων, quum notio ejus adversetur, ad κρηνῶν referri potest. Nec illi qui scholiasten secuti πατρώων cogitatione volunt suppleri et explicari πρὸς τῶν ἐκθρεψάντων σε ὑδάτων, probari possunt. Quare κρηνῶν emendandum esse videtur. Sed quod Wieselerus scribi censuit κλήρων inane est. Nec Nauckianum Θεῶν admitto, quum non sit verisimile poetam Polynicem per urbem fecisse jurantem aut urbem atque deos familiares composuisse. Nescio an probabilius suspicer scribendum κοινῶν (per deos publicos), ut θεοὶ ἐγχώριοι, ἐγγενεῖς, πολιοῦχοι dicantur atque θεοὶ ὁμογνίους, πατρώους, γενεθλίους opponantur.

V. 1358: ἄς νῦν δακρύεις εἰσορῶν, ὅτ' ἐν πόνῳ
καυτῷ βεβηκῶς τυχάνεις κακῶν ἐμοί.

Quod libri exhibent ἐν πόνῳ . . κακῶν complures nostrae memoriae critici Reiskii exemplum secuti corrigere conati sunt. Sed ἐν βυθῷ quod ille scribi voluit, in Polynicem, qua est rerum condicione, minus recte transfertur et vulgatae scripturae dissimile est. Atque κλονῶ, quod Martinus conjectavit, quae est nominis illius notio, non ita est aptum, quod cum κακῶν jungatur. Ad πότμῳ autem Bergkianum, quum significetur ista voce sors, fortuna, cogitandum est ne minus recte κακῶν addatur. Nec ἐν κακῷ . . πόνων, quod Meinekio in mentem venit, quisquam probaverit; nam quo ille exemplo utitur ἐν κακῷ χειμῶνος, quod in Ai. v. 1145. legitur, dissimile est. Probabilius mihi videor conjicere pro πόνῳ ponendum πόρῳ, quod quidem pariter atque κέλευθος a poetis graecis constat transferri, et in Oedipum et Polynicem, quippe qui mala exsilii ferentes per terras externas vagentur, cadere videtur. Nec a verbo βεβηκῶς illud alienum esse videtur, quamquam ἐν εὐτυχίᾳ, κακοῖς, denique ἐν τινι βεβηκέναι apud tragicos usitatum est.

V. 1389: τοιαῦτ' ἀρῶμαι, καὶ καλῶ τὸ Ταρτάρου
στυγρὸν πατρῶον ἔρεβος, ὡς σ' ἀποικίση, . .

Quod interpretes commenti sunt πατρῶον dici ἔρεβος vel eo quod ex eo Tartarus natus sit vel quod Laius, Oedipi pater, caligine Tartari tegatur, haud scio an hodie a nullo probetur. Nam illud ceteris de Tartari origine fabulis repugnat, et Laii mortui significatio a sententia abhorret. Nec magis laudari possunt, quae critici conjectura assecuti sunt. Ac Schneidewinus conjecit vel στυγρὸν πέλωρον vel Σύγιον ἀρωγόν scribendum, quorum alterum quamquam de Gorgone, Gigantibus aliis portentis dicitur, minus recte ad ἔρεβος transfertur, alterum ipsa vocis ἀρωγόν sede reprobatur. Meinekios autem, ut inane istud παλαιόν omittam, male excogitavit πειρωιόν et στυγνοπρόσωπον; illud enim non cadit in ἔρεβος, hoc novatum est. Κάτωθεν, quod Nauckius conjecit, nihil necesse est ad Ταρτάρου ἔρεβος addi. Equidem suspicor poetam scripsisse πανῶλες, quod nec ab usu Sophocleo alienum est et patris irae recordatione impietatis filiorum excitatae, quum illis omnia mala acerrimis verbis impreceetur, maxime convenire videtur.

V. 1411: καὶ σφῶν ὃ νῦν ἔπαινος, ὃν κομίζετον
τοῦδ' ἀνδρὸς οἷς πονεῖτον, οὐκ ἐλάσσονα
εἶ' ἄλλον οἷσει τῆς ἐμῆς ὑπουργίας.

Nauckius hos versus interpolatos ratus verbis ἔπαινος, ὃν κομίζετον τοῦδ' ἀνδρὸς οἷς remotis haec constituit: καὶ σφῶν ὃ νῦν πονεῖτον οὐκ ἐλάσσονα | ἔπαινον οἷσει κίε. Sed rationibus haud ita probabilibus utitur. Nam quod negat satis apertum esse, utrum τοῦδ' ἀνδρὸς in Oedipum an in Polynicem cadat: hoc loco, quamquam ὅδε ἀνὴρ apud tragicos saepius de loquente quam de tertia persona dicitur, sine dubio adverbium νῦν et praesens tempus verbi πονεῖτον obstant, quominus τοῦδ' ἀνδρὸς ad Polynicem transferatur. At hoc certissimum in versibus istis Nauckianis verba ὃ νῦν πονεῖτον minus aperta esse ad intelligendum. Quod autem contra ordinem verborum οὐκ ἐλάσσονα εἶ' ἄλλον disputat, certe levius est, quam quo codicum auctoritas possit infringi. Nec est sane, quod poeta reprehendatur, quod laude laudem allatum iri dixerit, quum facto laus pariat. Nam Sophocles, quamquam hoc dicere licebat: hac singularis erga patrem pietatis laude ornatae novam laudem consequimini, tamen illud dicendi genus poeta dignissimum secutus est. Quid? num inventus est, qui in Ai. v. 866. (πόνος πόνῳ πόνον φέρει) fastidiret? Tametsi hoc

quidem mirum poetam ἔπαινον κομίζεσθαι scripsisse, quum κομίζεσθαι expectaveris. At nihil est sane causae, quod eo nomine de integritate scripturae versuum illorum dubitemus. Poeta, quippe qui multa novaverit, ad similitudinem verbi φέρειν, quod in v. 6. (τοῦ μικροῦ δ' ἔτι μείον φέροντα), in Oed. T. v. 590. (ἐκ σοῦ πάντ' ἄνευ φόβου φέρω) aliis locis notionem accipiendi habet, illo activo usus est. Ceterum τοῦδ' ἀνδρός nolim cum κομίζετον jungi, quod quibusdam visum est, sed malim eadem ratione, qua a poetis ἀλγεῖν, θομοῦσθαι, στένειν, ὀδύρεσθαι id genus alia verba cum genitivo copulari constat, cum πονεῖτον conjungi (cf. Kr. Gr. II. §. 47. 21. 2). Quod si statuitur, non solum quale sit illud πονεῖτον planius fit, sed etiam sententia mag-nopere augetur; nam praeter patrem etiam alios laudatores licet cogitare. Atque τῆς ἐμῆς ὑπουργίας, quod sunt qui ex ἐλάσσονα pendere putent, videndum est ne praestet aptum censere ex ἄλλον (ἔπαινον). Nam substantivi, quibus cum verbis, quae cum genitivo jungi solent, notionis similitudo sit, haud raro a poetis cum ge-nitivo copulantur (cf. Kr. Gr. II. §. 47. 25). Quodsi apud Euripidem legitur αἰνῶ σε τῆς προθυμίας, atque ἐπαινεῖν cum genitivo rei jungi solet, non video, cur illud structurae genus rejiciendum sit, praesertim quod ipsa sententia commendetur. Nam consanguineos amare, funeribus propinquorum justa solvere poeta non minus quam τὸ γονεῖς θεραπεύειν in illis officiis ducit, quibus quum ἀγράπτοις κἀσφαλέσι θεῶν νομίμοις vel τῶ τῆς φύσεως νόμῳ in hominum animis insculpta sint, majora homini-bus non sint injuncta. Hos sensus, qui in omnibus tragoediis Sophocleis spirant, etiam ille locus refert, si Polynices hoc dicit: Si mihi justa feceritis, vobis haec laus, quam διὰ τὸ τὸν γονέα θεραπεύειν colligitis, aliam haud minorem (illa) laudem erga me pietatis afferet. Quae sententiae ratio deteritur, si τῆς ἐμῆς ὑπουργίας cum ἐλάσ-σονα statuas conjungendum.

V. 1418 sq.

Polynices Antigoniae oranti ut exercitum quam celerrime Argos reducat, ne se ipsum et patriam pessum det, haec respondet:

ἀλλ' οὐχ οἶόν τε· πῶς γὰρ αὐθις αὐ πάλιν
στράτευμ' ἄγοιμι ταῦτόν, εἰς ἀπαξ τρέσας;

Vauvilliersius, quamquam codices αὐθις αὐ πάλιν habent, pro αὐ scripsit ἄν, quod quum ab aliis tum a Meinekio probatum est, Nauckio non displicet. Sed apud poetas Atticos quum alius modi loci tum interrogationes rectae inveniuntur, ubi op-tativus potentialis quem vocant, particula ἄν careat, velut Aesch. Choeph. v. 392. (ἀλλ' ὑπέρολμον ἀνδρὸς φρόνημα τίς λέγοι;), Arist. Plut. v. 438. (ποῖ τις φύγοι;) (cf. Kr. II. §. 54. 3. 8). Atque cogitandum est, ne particula ἄν a Vauvilliersio loco collocata sit alienissimo. Quare codicum scriptura αὐθις αὐ πάλιν mihi videtur re-collocata sit alienissimo. Quare codicum scriptura αὐθις αὐ πάλιν mihi videtur re-tinenda, praesertim quum Phil. v. 952., Arist. Nub. v. 975., ubi inverso ordine αὐ πάλιν αὐθις legitur, aliis locis defendatur. Atque de integritate vulgatae lectionis ταῦτόν Nauckius et alii interpretes immerito dubitare mihi videntur. Illi quidem qui ταῦτόν amplexi Polynicem statuunt hoc dicere, fieri non posse, ut exercitum in-tegrum abducat, quippe quem hostes, ubi eum viderint discedere, aggressuri sint, non improbari non possunt. Nam et ista sententia est inanis et ταῦτόν perperam acceptum est. Alia est ratio illius loci. Si poeta omisso ταῦτόν Polynicem fecisset hoc loquentem: Qui possim iterum exercitum ducere, si semel ignavum me praebue-rim, minus recte dixisset; nam cogitari poterat fieri posse, ut Polynices exercitum duceret, qui illum re infecta a Thebis discessisse ignoraret. At subtilius poeta ταῦ-τόν addidit; nam vix fieri poterat, ut Polynices bellicae laudis jactura facta eidem exercitui i. e. Argivis iterum praeficeretur. Neque vero est, quod Polynicem illud dicentem de nova expeditione cogitasse fingamus. Nimirum illud sorori universe

respondet, ut preces ejus leniter recuset. Age vero illa examinemus, quae a criticis conjecta sunt. Ac Nauckius non dubitavit scribere *εὐτακτον*, proinde quasi dux, cui milites non confidant, exercitui minus bene composito possit praeesse, non possit bene composito. Nec minus *τακτόν*, quod Meinekio et Martino visum est, quod quidem illi intelligi volunt 'exercitum ad pugnam compositum vel paratum', a sententia abhorret. Non enim hoc unum ducis est, ut exercitui ad pugnam parato praesit: ejus est exercitum comparare, ad hostem ducere, collocare castra, cetera agere. Quid? num putas ducem, qui ignavum se praebuerit, ad ceteras res administrandas idoneum esse, non item ad exercitum in aciem educendum?

V. 1435: *σφῶν δ' εὖ διδοίη Ζεὺς, τὰδ' εἰ τελεῖτέ μοι
Θανόντι, ἐπεὶ οὐ μοι ζῶντι γ' αὐθις ἔξετον.*

Varias hujus loci imeditissimi vel explicationes vel emendationes, quum ab aliis refutatae sint, mihi non est in animo percensere. Unam Martini emendandi rationem breviter examinemus. Qui quum humationis mentio (v. 1410.) remotior sit, quam ut *τὰδε* ad illas preces Polynicis recte referatur, quumque ad plura vitium pertinere videatur, versus ita refingendos putat: *σφῶν δ' εὖ διδοίη Ζεὺς, φίλ' εἰ τελεῖτέ μοι | Θανόντι· καὶ γὰρ ζῶντι γ' οὐκέθ' ἔξετον.* At, ut non dicam istud *φίλ'* parum esse planum, codicum scripturam ad lubricitatem nimis mutavit. Nec istud *καὶ γὰρ* admitti potest. Apparet illum a vero aberrasse. Atque hoc quidem certum esse videtur, nondum inventum esse, qui locum illum probabiliter vel interpretaretur vel emendaret, nisi quod dubitari non potest, quin Burgessius in v. 1435. pro vulgata lectione *εὐδοίη* recte *εὖ διδοίη* scripserit. Atque quum alii tum Dindorfius, Nauckius, Meinekius v. 1436. quum corrigi posse desperarent, extremam rationem secuti ab interpolatore quodam confectum statuerunt. Sed tot virorum ac doctissimorum auctoritate ita non sum victus, ut novam versus illius emendandi rationem proponere audeam. Ac totum mihi in eo esse videtur, ut pro *ζῶντι*, quod, quia illud quod frater a sororibus petit vivo praestari non potest, corruptum esse apparet, scribatur *ζῶντες*, quod quidem ad Antigonem et Ismenem volo referri. Namque participiorum dualem numerum in formas masculinas cadentem quum ab aliis poetis tum a Sophocle haud raro ad nomina substantiva feminini generis transferri constat. Multa exempla possum afferre, sed satis habeo v. 1113. et 1676. commemorasse, quorum in illo *ἐμφύντε*, in hoc *ιδόντες καὶ παθόντες* ad Antigonem et Ismenem pertinent. Atque distinguendi signum non post *Θανόντι*, sed post *τελεῖτέ μοι* ponendum, et *Θανόντι*, quod ea quoque re, quia i dativi singularis numeri a poetis Atticis elisam esse jure negatur, pro dativo haberi non potest, *accusativum* censeo accipiendum. Quo in participio hoc loco eam vim inesse, ut ante conjunctionem id poni consentaneum sit, apparet. Praeterea pro *οὐ μοι* scribi volo *οὐ τοι* et *μ'* pro *γ'*. Illos igitur versus sic refingendos arbitror: *σφῶν δ' εὖ διδοίη Ζεὺς, τὰδ' εἰ τελεῖτέ μοι· | Θανόντι ἐπεὶ οὐ τοι ζῶντέ μ' αὐθις ἔξετον* i. e. *utramque vestrum Jupiter fortunet, illud officium si mihi praestiteritis; mortuum enim dum vivetis me non iterum habebitis.* Namque Polynicem, quum dicat *εἰ τελεῖτε*, confidere apparet sorores ipsius voluntati obtemperaturas esse; itaque in hanc sententiam potest pergere: quippe si illi officio defueritis, dum vivetis nunquam occasionem nanciscemini peccati corrigendi.

V. 1443 sq.

Antigone nequidquam fratrem precibus a conatu illo exitioso revocare conata se fratre orbatam misserrimam fore conqueritur. Tum Polynices hoc respondet:

*ταῦτα δ' ἐν τῷ δαίμονι,
καὶ τῆδε φῦναι χαιτέρα. . .*

Quod fuerunt qui verterent: 'hoc penes deum, vel hoc vel illo fato ut quis nascatur', pejus Vauvilliersius interpretatus est: 'haec in genio sita sunt et in eo, quod sive hoc sive altero fato natus fueris'. Quodsi perpenderit, quae sit his verbis cum proximis ratio, facere non poteris, quin istud potuisse poetam dicere neges, statuas hoc eum scripsisse: Illud in potestate deorum situm est, ut sic aliterve *velint evenire*. Quam sententiam et ipse Brunckius assecutus est, qui vertit: 'Fortuna decernit, utro haec casura sint modo'. Neque tamen verbum *φῆναι*, quae est ejus notio, illi sententiae convenit. Quare Nauckius recte monet verbum activae notionis requiri. At *κρᾶναι* quod conjicit scribendum, quamquam sententiae aptum est, vulgatae lectioni dissimillimum est. Meinekianum autem *φῆναι* a sententia abhorret. Equidem persuasum habeo poetam *τῆδ' ἐφείναι* scripsisse.

V. 1451: *μάτην γὰρ οὐδὲν ἀξιώματα δαιμόνων ἔχω φράσαι.*
ὄργᾶ, ὄργᾶ ταῦτ' ἀεὶ χρόνος, ἐπεὶ μὲν ἔτερα
τὰ δὲ παρ' ἡμᾶρ ἀνθις ἀΐξων ἄνω.

Quo melius hic locus obscurior intelligatur, illius strophae sententiarum rationem explicare opus est. Namque chorus res antea actas animo perpendens haec dicit: Nova haec et gravia mala, quorum auctor est caecus hospes, nova ratione in me irruerunt, nisi quid divinitus accidit i. e. nisi dii malis et molestiis quibus implicamur nos liberant et civitati salutem illam impertiunt, quae ex sepulcro Oedipi in eam redundatura est. Quod fore chorus confidit. Non enim dici posse ullum deorum consilium inane esse. Tum sequuntur qui supra scripti sunt versus. Explicationem et scholiastae et recentioris aetatis interpretum qui vulgatam scripturam retinendam existimaverunt, Brunckii, Hermanni, Doederlini, ceterorum perversam esse quis est qui neget? Alii illos versus recte censuerunt emendatione egere. Ac *τὰ δὲ παρ' ἡμᾶρ*, quod Canterus et scholiastae interpretatione eruit, pro codicum lectione *ἰάδε πῆματα* scribendum haud scio an inter omnes conveniat. Itemque *πάντα* quod Dindorfius pro *ταῦτ'* reponendum conjecit, sine dubio est probandum. Nam si *ἀξιώματα δαιμόνων* ad *ταῦτ'* velis suppleri, ad sententiam nihil proficiatur. Tempore enim custodiri non posse dici deorum consilia apparet. Atque *ἀεὶ* poetam generatim atque universe loqui indicat. Quare *πάντα* scribendum atque res humanas ita dici statuendum est, ut simul praesens rerum condicio a choro tecte significetur. Nec vero quae de verbis *ἐπεὶ μὲν ἔτερα* conjecta sunt, probari possunt. Ac Martinus *ταῦτ'* amplexus *ἐπεὶ* vult mutari in *ἔτι*, *ἀνθις* in *ἀντίκ'*, ut sententia haec sit: 'Videt (curat ut eventum habeant) haec (*τὰ θεῶν ἀξιώματα*, deorum oracula) semper tempus, anno (post longius temporis spatium) alia, alia ipso statim die (intra brevissimum tempus) sursum extollens (ad exitum adducens)'. At neque in *ἔτι* aut in *παρ' ἡμᾶρ* aut in *ἀΐξων ἄνω* istam notionem inesse, quam ille subjicit, et sententiam istam omnino ab hoc loco alienam esse nemo non videt. Immo vero pro *ἐπεὶ* participium quaerendum est, cui *ἀΐξων* respondeat, quod idem quum aliis tum Hartungio et Nauckio visum est. Quamquam quod Hartungius interpretatione scholiastae nisus proposuit *σιρέφων*, quod quidem Nauckius in poetae verba inserere non dubitavit, audacius quam feliciter mihi videtur conjectum. Nihil enim favet isti conjecturae interpretatio scholiastae, quem, quum perperam iudicet verba sic jungenda: *ἔτερα μὲν ἀΐξων ἄνω, τὰ δὲ παρ' ἡμᾶρ ἀνθις*, deinde, ut *ἀνθις* explicet, dicat: *ὃ ἔσων εἰς τὸ ἔμπαλιν τρέπων τὰ ἤδη ἀΐξηθέντα, τρέπων* vel *σιρέφων* legisse probabile esse non est sane, quod censeas. Equidem suspicor scribendum *ἐνείς*, *ἔτερα* interpretor infausta. Nam *ἔτερος*, *ἑτέρως* haud raro scriptores usurpant, quum omnino nolunt dicere *κακός*, *κακῶς*, velut Aesch. in Ag. v. 147, ubi *θυσίαν ἑτέραν* legimus. Quod nisi Sophocles voci *ἔτερα* illam notionem subje-

cisset, certe τὰ μὲν scripsisset. Nec vero solum illud participium a vulgata scriptura prope abest metroque convenit, sed etiam ordini sententiarum accommodatum est. Nam illo recepto oratio recte procedit. Chorus enim haec dicit: Videt, videt omnia tempus: *immittens quidem adversa, illa vero interjecto die (brevis tempore interposito) rursus erigens atque extollens (in meliorem partem convertens)*, vel si illa ad res quae aguntur referantur, chorus in hanc sententiam loqui apparet: Temporis decursu res adversae in meliorem partem verti solent: itaque hae quoque res meliore loco erunt. Confido me curis ac molestiis nefando ἀλάστον ἀνδρός (cf. v. 1482.) hospitio allatis liberatum iri; non enim dubito, quin oracula eventum habitura sint. Atque prodigio coelesti, cujus sequente versu mentio fit, ea quae chorus enuntiavit exitum habitura esse poeta facit significari.

V. 1466: ἔπιηξα θυμόν· οὐρανία γὰρ ἀστραπή φλέγει πάλιν.
τί μὲν ἀφήσει τέλος; δέδεια δ'· οὐ γὰρ ἔλιον
ἀφορμᾶ ποτ', οὐκ ἄνευ ξυμφορᾶς.

Vulgata lectio οὐρανία metri adversatur rationi, quum nec anapaestus hoc loco nec συνεκφώνησις in illa voce admitti possit. Itemque οὐράνια, quod Seidlerus coniecit quodque adverbii loco esse vult, a metro alienum est.

Nec Elmslei οὐρία, quod dubito num in fulmen possit transferri, aut Bothianum οὐρανοῦ quisquam probaverit. Quod Meinekius, ut illorum conjecturas, qui verba codicum scripturae proposuerunt dissimilia, omittam, scripsit οὐρανὸν φλέγει i. e. coelum illustrat, aptum esset, nisi luce illa fulgura et tonitrua existere cogitandum esset. Ut librorum scriptura maximam partem servetur, nihil mihi videtur relinqui nisi ut οὐρανῶ ponatur. Namque dativus localis qui vocatur, quem constat apud Hom. usitatissimum esse, etiam apud Sophoclem haud raro invenitur, velut in v. 313. κραί, Oed. T. in v. 1266. ἐπεὶ δὲ γῆ ἔκειτο, El. in v. 174. οὐρανῶ, 313. ἀγροῦσι τυγχάνει. — Etiam qui sequitur versus difficultatibus laborat. Nam ἀφήσει, quod in Laurent. lectioni ἀφῆς superscriptum est, a sententia alienum esse patet. Quare Nauckius τί φήσω scripsit, quod quum frigidius sit nescio an a senum concitatione animorum abhorreat. Ac τί μὲν ἀφήσει βέλος, quod quibusdam visum est, inane esse apparet. Probabilius mihi videor conjicere scribendum ἐφήσει: *quemnam immittet finem sive exitum i. e. quid fulgure portenditur divinitus eventurum?* — Pro corrupta autem Laur. lectione δέδεια τόδ' Triclinius scripsit δέδια δ', quod quum metro adversetur, Nauckius δέδοικα δ' recepit. Equidem dubito an rectius ponam ἔδεια δ' i. e. ὅτε ἤκουον, qui aoristus senum perturbationi accommodatissimus est et illo qui est in versu proximo ἔπιηξα θυμόν confirmari videtur. Tales aoristos saepe apud tragicos usurpari constat, velut in Ai. v. 99. ξυνῆκ' ἐγώ, 693. ἔφριξ' ἔρωι, 790. ἤλγησα, in Ant. v. 1317. ἀνέπαιν φόβω, in Trach. v. 312. ἄκουσα, aliis locis.

V. 1511: αὐτοὶ θεοὶ κήρυκες ἀγγέλλουσί μοι,
ψεύδοντες οὐδὲν σῆμα τῶν προκειμένων.

Σημάτων προκ., quod codices praebent, recte a Dindorfio videtur emendatum. Nauckius autem προκειμ. nihil posse significare ratus nisi quae illo ipso tempore, quo Oedipus loquatur, agantur, πεπωμένων suspicatur scribendum. At ab Her., Plat., Eur., aliis προκεῖσθαι ita usurpari constat, ut transferatur ad res quae sint futurae vel instant. Quin etiam ea quae proposita sunt τὰ προκειμένα hoc loco possunt accipi, quum Oedipus non solum universe loquatur, sed etiam vitae finem fato sibi propositum spectet.

V. 1526: ἃ δ' ἐξάριστα μηδὲ κινεῖται λόγῳ,
αὐτὸς μαθήσει, κείσ' ὅταν μόλῃς μόνος.

Versum 1526., quum ad ἐξάριστα cogitatione velint suppleri λέγειν vel κινεῖν λόγῳ,

ita interpretari solent: Quae dicere vel verbis movere piaculum est, neque verbis moventur. At si ita statuas verba jungenda et particula negativa, quum rationi grammaticae repugnet, magnam affert dubitationem et vix credi potest poetam idem in eodem versu iterasse. Accedit quod, si rationem sententiae illius perpenderit, non *κινείται* dici expectaveris, sed *δεῖ κινεῖν*, id quod Nauckius minus recte coniecit scribendum. Quare plane non dubium esse mihi videtur, quin poeta scripserit *ἃ δ' ἐξάγισια μηδὲ κινεῖσθαι λόγῳ*. Namque *ἃ δ' ἐξάγισιά (ἔσα)* dictum pro *ἃ δ' ἐξάγιστον* ad similitudinem v. 37. (*ἔχεις γὰρ χάρον οὐκ ἄγνόν παιεῖν*) vel Hom. II. XX. v. 265. sq. *οὐ τοι ῥηίδι' ἔσαι θεῶν δῶρα ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαήμεναι*, prope accedit ad notionem verbi *ἀπαγορεύω* vel *ἀπὸρρηγνόν ἔσαι*. Hinc adjunctum est infinitivo *μή*, quod quidem, si nostrae linguae rationem spectes, non desideraveris. Sententia igitur haec est: *Quae vero nefas est vel oratione tangi, vel: quae vero ne oratione quidem tangi fas est, ipse cognosces, ubi solus in illum locum perveneris*. Ordinem sententiarum huic interpretationi favere apparet.

V. 1534. sq.

Oedipus vs. 1530. sq. praecipit Theseo, ut illa quae ei crediturus sit semper occultet atque reticeat et vita decedens cum eo qui dignitate atque auctoritate praestantissimus sit communicet, et eadem ratione sibi quisque successuro tradat. Sic futurum, ut Theseus civitatem ab hostibus ex draconis dentibus ortis teneat tutam. Tum haec dicit:

αἱ δὲ μνῆραι πόλεις,
 κἄν εὖ τις οἰκῆ, ῥαδίως καθύβρισαν·
 θεοὶ γὰρ εὖ μὲν, ὄψ' δ' εἰσορῶσ', ὅταν
 τὰ θεῶ' ἀφείς τις εἰς τὸ μαίνεσθαι τραπῆ.
 ὃ μὴ σύ, τέκνον Αἰγέως, βούλον παθεῖν.

Fuerunt qui, quum *μνῆραι* vitio affectum esse opinarentur, *κῦρραι* scribi vellent. Nec vero sive *αἱ δὲ κῦρραι* sive *εἰ δὲ κῦρρα πόλις* sive *οὐ δὲ κῦρρα π.* scribis, quidquam ad sententiam proficias; nam istud a sententiae ratione prorsus abhorret. Oedipus enim quum illa universe dicat, tamen Athenas urbem spectat atque Theseum admonet, ut cautionem adhibeat. Nam v. 1538 hoc dicit: Tu cave ne idem tibi accidat. Sed ne prudentissimo illi viro praecipere videatur, sermonem alio transfert. Nihil est igitur, quod *μνῆραι* tentetur. At articulus offensionis est; quare pro *αἱ δὲ* scribendum conjicio *ἀλλά*. Praeterea verba *κἄν εὖ τις οἰκῆ* perperam interpretantur: 'etiamsi civitas aliqua bene administraretur vel bonis institutis ac legibus utatur'. Non enim dicendum erat: sexcentae urbes, *etiamsi aliqua* bene administraretur, sed: sexc. urbes, *etiamsi bonis legibus utantur*. Fieri igitur non potest, quin in *οἰκεῖν* notio administrandi insit, ut *τις* non *πόλις*, sed *ἀνήρ* intelligatur. Istam quidem notionem verbo *οἰκεῖν* Thuc., Xen., Plat., Soph. alii haud raro subjiciunt. Oedipus igitur haec dicit: *Sed sexcentae urbes, etiamsi bene quis administraret, insolentia exsultantes fac ille jura divina et humana pervertunt; nam bene vident dii, sed vident sero* (cf. Hom. II. IV. v. 160. *εἴπερ γὰρ τε καὶ ἀντίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν, ἔκ τε καὶ ὄψ' ἔτελει*), *si quis religionis contemnens in furorem incidat (impie nefarieque agat)*. Quod tu cave ne tibi accidat.

V. 1551: ἦδη γὰρ ἔρω τὸν τελευταῖον βίον
 κρύψων παρ' Αἶδην . . .

Τὸν τελευταῖον, quod codices habent, proleptice dictum interpretantur, quod quominus recte statuatur, sedes articuli videtur obstare. Nec est necesse ad *βίον* addi *ut finiatur*, quum sequantur verba *κρύψων παρ' Αἶδην*. Atque cogitandum est, ne minus recte illi adjectivo vis passiva subjiciatur. Nec vero *τὸν τελ. β.* accipi potest *τὸ τελ. τοῦ βίου* aut *τὸ τοῦ βίου τέλος*. An putas recte dici *τὸ τοῦ βίου τέλος*

κρύψων παρ' Αιδην? Longe aliter se habet quod in v. 1720. legitur *λύειν τὸ τέλος βίον*. Martinus autem male coniecit scribendum *τόνδε δέιλαιον*; nam commemoratio miseriae ab hoc loco aliena est. Equidem malim scribi *τὸν τέλειόν μου βίον*, ut haec sententia exsistat: *Incedo enim vitam ad exitum perductam apud Orcum occultaturus.*

V. 1583:

ὡς λελοιπότα

κείνον τὸν ἀεὶ βίον ἐξεπίστασο.

Vulgatam hujus loci quasi conclamati scripturam *τὸν ἀεὶ βίον* neque secutus scholiasten, qui *τὸ μακρὸν γῆρας* arbitrato suo explicat, recte interpreteris, nec *τὸν ἀεὶ* 'in omne tempus', id quod Hermanno visum est, intelligi potest, praesertim quum istud addi necesse non sit, quia *vita ad tempus relinqui non potest*. Quare ne conjectura quidem Hermanni *κείνόν γ' ἔσαι εὖ βίον* potest admitti. Quid vero? quod interpretes quidam Graecum hominem illud dicere oblitus *λελοιπότα* mutandum in *λελογχότα* censuit? quo scripto *τὸν ἀεὶ βίον* non potes intelligere nisi *vitam aeternam*, quae quidem locutio Christiano homini convenit. Hartungius autem proposuit *τὸν αἰνὸν β.*, quod si Oedipus diceret, non esset quod improbaremus, sed a nuntio, quippe qui quemadmodum res sit facta indicaturus sit, alienum est; ac ne illud quidem statui potest, universam vitam dici *αἰνόν*. Nec Meinekio assentior *ἐκείνον ἄρτι βίον* conjicienti; non enim necesse est hoc dici, Oedipum *modo* e vita decessisse, quippe qui paulo ante abierit. Equidem poetam hoc loco a nuntio nihil fecisse choro demiranti responderi nisi illud, Oedipum mortem obiisse, quod v. 1580. jam dictum est, vix credo. Atque inde, quod chorus versu 1585., quae nuntius indicavit, magis admiratur, quam versu 1583., quodque interrogat, num Oedipus *θεία κάπνον ὄχη* e vita excesserit, jure mihi videor colligere a nuntio commemoratum esse aliquid novum atque id, unde effici posset Oedipi obitum divinitus evenisse. Quare scribendum suspicor vel *κείνόν τοι δεινὰ βίον* vel *κείνόν γε δεινὰ βίον*. Nam *τοι* haud scio an corripitur, ut in Oed. T. v. 155. *σοι*, in v. 157 *μοι*, saepius *οι* in *τοιούτος*, *τοιόσδε*, *ποιῶ*, aliis verbis corripitur. Atque et *τοι* et *γε* saepissime pronomibus subjungitur constat. *Δεινὰ* autem adverbii loco poni posse non est quod demonstrem. Quid? tribrachys in *δεινὰ βίον* nonne aptissimus est ad indicandam miram celeritatem, qua senex e conspectu omnium abstractus est? Praeterea quod conjicio scribendum videtur confirmari v. 1624. sq., ubi nuntius narrat, postquam Oedipus a deo aliquo nominatus ad liminis aënei voraginem vocatus sit, omnibus qui affuerint propter metum arrectos stetisse capillos, et v. 1650. sq., ubi nuntius refert Theseum qui solus mirum Oedipi obitum viderit, paulo postquam ceteri ab Oedipo discesserint, secutum manum adversam obtendisse faciei *ὡς δεινοῦ τινος φόβου φανέντος οὐδ' ἀνασχετοῦ βλέπειν*, et v. 1664. (*ἐξεπέμπετο . . εἰς υἱὸν βροτῶν θανμαστός*).

V. 1640: *ὦ παῖδε, τλάσας χρῆ τὸ γενναῖον φρενὶ*

χωρεῖν τόπων ἐκ τῶνδε, μηδ' ἄ μὴ θέμις

λεύσσειν δικαιοῦν μηδὲ φωνούντων κλύειν.

Quum neque ratio dativi *φρενὶ* qualis sit liqueat, nec *τὸ γενναῖον* ut intelligatur, *κατὰ* supplendum aut pro adverbio positum recte statuatur, denique quum parum appareat, qua ratione aliud ex alio aptum et nexum sit, versum 1640. mendo affectum controversia non est. Nec Hermanni explicatio: 'quod generosum est animo subeuntes' nec quod vulgo interpretantur: *fortiter vos decet ferre, quod ferre magni est animi*, quum a vulgari scriptura alienum sit, admitti potest. Martinus autem lectionem *φέρειν*, quam nonnulli codices cum Laur. habent, amplexus coniecit scribendum *τό γ' ἔμπαιον φέρειν*: 'sustinentes id quod incidit ferre'. At ut non dicam istud *ἔμπαιον* nequidquam apud Sophoclem quaeri, ordo verborum isti conjecturae

adversatur. Nam *χρή*, quae est ejus sedes, ad *φέρειν* referri necesse est et concursus infinitivorum offensionem habet. Nauckius quum versum illum subditivum judicat, rem paucis absolvit. Ego suspicor scribendum *τὸ δ' ἐννατὸν φρενί*, quae verba quum interjecta censeam, et post *χρή* et post *φρενί* distinguendi notis secludenda arbitror atque ita volo accipi: *τὸ δ' (τὸ τλήναι) ἐννατὸν (ἔσαι) φρενί (ὑμετέρῃ)*. Namque articulum adjunctis particulis *δέ*, *καί*, *γάρ* apud tragicos haud raro pronominis demonstrativi loco usurpari constat. (cf. Kr. Gr. II. §. 50. init.).

V. 1685: *πῶς γὰρ ἢ ἡν' ἀπίαν
γᾶν ἢ πόντιον κλύδων' ἀλώμεναι, βίον
δίσοιστον ἔξομεν τροφάν;*

Πῶς non solum metro versus antistrophici sed etiam sententiae repugnat. Nam Antigonem non rationem victus quaerendi spectare sed hoc dicere apparet: *Ubi terrarum difficilem victum nanciscemur? Πόσε*, quod Nauckius poni vult, quum metro sufficiat, a tragicis usurpatum esse exemplis non confirmatur. Nec istud adverbium rationi accusativorum *ἀπίαν γᾶν ἢ πόντιον κλύδωνα* convenit, qui ita intelligendi sunt: *per* quam terram remotam aut *per* quae aequora (vagantes). Nam verba intransitiva quae motum indicant, haud raro cum accusativo junguntur, ut legitur in Ai. v. 30. *πηδῶντα πεδία*, in v. 847. *διφρηλατεῖν τὸν οὐρανόν*, apud alios scriptores *πλεῖν θάλατταν*, *πορεύεσθαι πεδίον*, id genus alia. Quare malim scribi *πόδι*, quod quum ab aliis poetis tum a Sophocle pro *ποῦ* usurpatum esse constat. Ac verbis *ἢ ἡν' ἀπίαν γᾶν ἢ πόντιον κλύδων'* illud *πόδι* singillatim describitur.

V. 1689: *οὐ κάτοιδα. Κατά με φόνιος Ἄϊδας
ἔλοι πατρὶ ξυνθανεῖν γεραίῳ
τάλαιναν· ὡς ἔμοιγ' ὁ μέλλων βίος οὐ βιωτός.*

Vulgata lectio *γεραίῳ*, quum adjectivum illud, quia pater mortuus minus recte senex vocatur, a sententia alienum sit, offensionem affert. Dindorfius, Nauckius alii verba *πατρὶ ξυνθανεῖν γεραίῳ* removenda censuerunt. Sed haud scio an *γεραίῳ* scribendum atque post *ἔλοι* et *γεραίῳ* notis distinguendum sit, ut sententia existat: *cum patre mori laudem iudico magnam*. Versus antistrophicus qui huic respondet, quum nonnulla verba intercidesse videantur, certa ratione emendari non potest. Qui sequitur versus sic refigendus videtur: *τάλαινα· πῶς ἔμοιγ' ὁ μέλλων βίος βιωτός*; Interrogatio Ismenes animi commotionem refert. Versum antistrophicum ut metrum ejus versui strophico accommodetur, sic mutandum conjicio: *ἐπαμμένει σέ τ', ὦ φίλα, τοῦ πατρὸς ἄδ' ἐρήμας*.

V. 1695: *μηδὲν ἄγαν φλέγεσθον· οὐ τοι
κατάμεμπτ' ἔβητον.*

Librorum scripturam *οὐ τοι κτέ.* sunt qui interpretentur: 'Non sane iniquam condicionem nactae estis'. Recte quidem *κατάμεμπτ'* adverbii loco habetur; nec vero exempla, quibus istam vim quam inesse volunt in *βαίνειν* confirmant, *ἐν μοίρῃ*, *ἐν κακοῖς βαίνειν* vel *βεβηκέναι*, in hunc locum cadunt. Nec magis idoneum est Herodoteum illud *εὐ βεβηκώς* aut Euripideum *βῆναι ἀπονητί*, quod est in fragmento a Plutarcho prodito, quum ad sententiam sint dissimilia. Quare alii interpretantur: *Non sane iter fecistis, quod vobis spernendum vel quod conquerendum sit*, quae verba eo referenda esse statuunt, quod virginibus Thesei tutela fuerit proposita. Istam confortulam explicationem Nauckius recte rejicit, quum praesertim sententia ista ab hoc loco abhorreat. Nec vero quod ille conjectat scribendum *οὐ τοι κατάμεμπτος αἴσα*, laudari potest, quum nec vulgata scriptura isti conjecturae faveat nec appa-

reat, quorsum αἴσα spectet. Mihi quidem, quum scholiastes οὐ τοι κατάμεμπτος ἔβη legisse videatur et quum virgines patris desiderio incensae quum miseram suam condicionem tum hoc conquerantur, patre quod sint orbatae quumque Antigone etiam qui sequuntur versibus suum patris desiderium verbis exprimat, solatium illud chori ad mirum Oedipi obitum spectasse probabile videtur. Quare aliquando coniecti scribendum: οὐ γὰρ | κατάμεμπτ' ἔβη τοι. Nunc probabilius mihi videor hoc proponere: οὐτι κατάμεμπτ' ἔβη που, ut chorus haec dicat: haud centemnendum opinor in modum vita excessit. Verbo βάλειν apud Sophoclem etiam excedere e vita significari non est, quod exemplis firmem.

V. 1697: πόθος καὶ κακῶν ἄρ' ἦν τις.
καὶ γὰρ ὃ μηδαμὰ δὴ τὸ φίλον φίλον,
ὁπότε γε καὶ τὸν ἐν χερσὶν κατέχον.

Codicum hujus loci scriptura constat, nisi quod variant μηδαμῆ vel — μῆ, quod quum metro repugnet, recte in μηδαμὰ mutatum videtur. Atque τὸ φίλον interpretantur id quod per se jucundum sit. At dici debuit τὸ μηδαμὰ φίλον; articulus hoc loco relativum excipiens nullo modo admitti potest. Quare Brunckius δὴ φίλον ἦν, Firnhaberus δῆτα pro δὴ τό coniecit scribendum. Ego malim scribi δὴ τι; namque ut adverbii loco positum volo, ut vim particulae μηδαμὰ augeat.

V. 1700: ὦ πάτερ, ὦ φίλος, ὦ τὸν ἀεὶ κατὰ γὰς σκότον εἰμένος.
οὐδὲ γέρων ἀφίλητος ἐμοὶ ποτε
καὶ τᾶδε μὴ κρηήσης.

Vulgatam scripturam versus 1701. qui tuendam censuerunt, verba οὐ et ἀφίλητος ad μὴ κρηήσης cogitatione supplenda et τᾶδε non ad Ismenen sed ad mortuum referendum rati interpretati sunt: 'quum ne senectus quidem tua amorem meum poterit imminuere, multo minus defuncti amor unquam exstinguetur', quod interpretationis artificium haud scio an nemo probet. Nec Hermanni οὐδὲ γὰρ ὄν sententiae congruit. Haud secus de Duentzeri conjectura οὐδὲ πέραν existimandum est. Elmslei θανάων vulgatae scripturae dissimile est. Accedit quod quae est huic versui cum proximo ratio particulam confirmantem postulare videtur. Eandem ob causam Meinekii οὐδέ περ ὦδ' rejiciendum est, praesertim quum ipsum περ displiceat. Rectius mihi videor hoc scribere: οὐτι γὰρ οὐν, ut Antigone causam explicans cur patrem versu proximo φίλον vocaverit, haec dicat: nam nihil sane verendum, ne quando ego aut illa amore tuo non flagremus.

V. 1748. sq.

Antistrophe altera chorus virginibus consilii expertibus hoc solatii praebet, quod etiam superiore tempore a periculo sint defensae. Quum autem Antigone de reditu in patriam laboret, chorus eam rem non censet expetendam. Tum Antigona iterum miseram suam condicionem conquerenti et deploranti chorus hoc assentitur, sorores summis malis urgeri. Itaque virgo quum nulla consolatione sustentetur nec habeat quo se vertat, Jovem implorat et appellat, quum dicit:

φεῦ φεῦ, ποῦ μόλωμεν, ὦ Ζεῦ;
ἐλπίδων γὰρ ἐς τί με
δαίμων τὰ νῦν γ' ἐλάτνει;

Non solum metri sed etiam sententiarum ratio vulgatam scripturam versus 1749. corruptam esse docet. Nam illud: In quas enim sollicitudines ac timores me nunc fatum redigit? a sententiarum ratione alienum est. Nam Antigonen causam explicare, cur Jovem impleret, particula γὰρ indicatur. Sed qui illum locum emendare conati sunt, nihil egerunt nisi hoc, ut metrum reficerent, ipsam versuum illorum

sententiam parum spectarunt. Quod Hermannus scribi voluit ἐς τίν' ἔτι με quominus probetur, τὰ νῦν γ' obstat. Brunckii ἤμας a sententia abhorret. An vero Antigonen quae soror animo sentiat verbis explicare posse putas? Itemque ποιε Doederlinianum a sententia alienum esse patet. Nauckius autem versu strophico 1735. audacius quam probabilius mutilato quum με transponendum ac γ' delendum censeat, hos constituit versus: ἐλπίδων γὰρ ἐς τί | δαίμων τὰ νῦν μ' ἐλαύνει; Ego si accuratius spectetur, quae sit illis versibus cum proximo ratio, fieri non posse arbitror, quin hoc probetur: ἐλπίδων γὰρ ἐς τίν' οὐ με | δαίμων τὰ νῦν γ' ἐλαύνει; nam in quas sollicitudines fatum me nunc non redigit i. e. nam in omnes s. f. me nunc r. Cf. v. 1133. ὃ τίς οὐκ ἐν κηλὶς κακῶν ξύνοικος; v. 1232. τίς οὐ καμάτων ἐν; Oed. T. v. 420. sq. ποῖος Κιθαιρῶν οὐχὶ σύμφωνος κτέ. Atque versus dimeter trachaicus, qualis est versus artistrophicus, qui huic respondet, restitutus est.

V. 1851 sq.

Theseus tum quum Antigone non videt, quo modo rebus suis consulat, nec senes habet consilii auctores opportune interveniens haec dicit:

παύετε θρήνον, παῖδες· ἐν οἷς γὰρ
 χάρις ἢ χθονία ξύν' ἀπόκειται,
 πενθεῖν οὐ χροί· νέμεσις γάρ.

Qui Reisigium secuti pro vulgata lectione ξυναπόκειται, quae metri causa non potest admitti, ξύν' ἀπόκ. receperunt et τὴν χθονίαν χάριν intelligunt gratiam, quae χθονίοις θεοῖς, quod Oedipus ab iis benevole exceptus sit, debeatur, locum illum ita interpretantur: 'Theseum virgines ut laerimas ac lamentationem mittant adhortantem, hoc afferre, quod ubi κοινῶς (et mortuo et superstitibus) accepta sit mors, non deceat lugere'. At istud in virgines non cadere apparet, quippe quarum planctore ac lamentatione satis ostendatur mortem patris iis non esse acceptam. Nec quum chorus ut sorores consolaretur semel atque iterum optatum faustumque patris obitum commemoraverit, poetam a Theseo idem afferri solatium fecisse verisimile est. Martinus autem, quum pro ξυν conjiciat scribendum νύξ, interpretatur: 'in quibus (rebus vel hominibus) mors beneficii loco reponitur, pro beneficio accipitur, non est lugendum. At ἐν οἷς χάρις ἀπόκειται perperam intellectum est, nec mors ἢ χθονία νύξ dici potest. Ne quod chorus monuit iteretur, regem, ut sorores sollicitudine liberet, id dicere necesse est, quod ad susceptam virginum tutelam spectet. In quam sententiam quominus vulgatam scripturam accipiamus, haud scio an nihil officiat, modo Reisianum illud ξύν' pro ξυν- ponatur atque intelligatur pariter, simul, quam quidem notionem adverbio κοινῆ subjici posse constat. Ἀποκείσθαι autem etiam de iis rebus dicitur, in quibus certa spes poni possit, velut legitur εὐνοια, συγγνώμη ἀπόκειται. Atque χάριν τὴν χθονίαν non, quod illis, nec quod aliis visum est, 'gratiam ab Oedipo civitati relatum', aut 'gratiam terrae promissam', sed gratiam intelligi velim, quam terra ab Oedipo beneficio affecta virginibus debeat (cf. v. 948., ubi χθόνιος pro ἐγχώριος usurpatum est). Sententia igitur videtur esse haec: In tali enim rerum condicione, ubi simul (praeter obitum patris solatii plenum) in grato civium animo certa spes reponi possit, non est lugendum.

Mense Martio anni 1869.

